5

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

SPLENETICO MALO,

QUAM,

PROPITIO NUMINE DIVINO

ET

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE,

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISS. REGIS PORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOS. NATUR. EXTRAORD. REIPUBL. NORIBERG. PHYS. ORDIN. ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO LICENTIA

Horis ante & pomeridianis. d. Maj. MDCCXIX.

Publicæ ventilationi ſubmittet

HELWIG CHRISTIAN MAYER,

ONOLDO-FRANCUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30773222

Prooemium.

EX illis ſubſidiis atque emolumentis, quæ Medicam Artem ſublevant ac confirmant, non infimæ dignitatis, vtilitatis & neceſſitatis eſt notitia originis & dependentiæ morborum, quo exinde genuina horum indoles magis inclareſcat, ut prudens artifex e prima cauſa atque fundamento reliquos illorum progreſſus atque effectus rite dijudicare & peritè tractare queat; ita eveniet, ut non modo juſta morborum Hiſtoria magis magisque confirmetur & illuſtretur, ſed ætiologica illorum diſquiſitio & deductio magis certioretur ac therapevtica eorundem directio rationabiliter adminiſtretur; hinc in veritate & ſinceritate ſua eluceſcet dicterium *Celſi*, quod *ille bene curet, qui bene cognoſcit*, quippe quæ cognitio ſeſe non modo ad ſpeciem, ſed & ad genuinam cauſam morbi extendit, quo reſpectu Medicina jure meritoque appellanda erit habitus cum recta ratione effectivus:

Quando vero artifex in exquirendis morborum originibus ſtudioſus eſt, vix abſoluta neceſſitas erit, in certo quodam loco aut exquiſita parte hunc primum ortum & egreſſum ſcrupuloſe & operoſe indagare, cum ſatis ſæpe morbi non ad unum exactum locum adſtricti & obligati ſint, ſiquidem illi affectus, qui magis motuum, quam materiarum vitiis nituntur, nullam fixam ſedem promiſcuè habent, ſed modo hanc, modo aliam partem in conſenſum ducunt; tamen tunc & utile & neceſſarium erit, noſſe, ex quo primo effectu, aut ex qua originali alteratione morbus quidam genitus fuerit, ubi non æque confeſtim & indiſcretim in aliqua parte eximia labes & juxta veterum ſtylum, intemperies quædam ominoſa, interdum magis imaginaria, accuſari debet: propterea verò minimè conſultum eſt in explicanda morborum dependentia & progreſſione reliquos morbidos concurſus negligere, ſed probe & provide annotare, quousque ſeſe efficacia propaget & quas partes una attingat atque affligat: Haud quidem nos latet, quomodo tam inter antiquiores, quam recentiores medicos circa indagandam ſedem morborum non pauca aut ſuperficiaria cura & induſtria adhibita fuerit, illud vero etiam negari non poteſt, quod interdum ex nuda quadam præſumptione & opinione vis ſpecialis morbifica alicui parti præter culpam imputata fuerit, dum eidem vel certa intemperies, aut malignitas, vel ſentina particularis cujusdam impuritatis adſignata conſtat: & quem forte latet, quam terribilia unquam de utero prædicata fuerint, qualis obſcura & horrida malignitas & intemperies aut plane virulentia eidem imputa-

putata conſtet? quæ non portentoſa, *juxta* Helmontianum aſſertum, ventriculo adſcribuntur? & quid non de Liene prædicatur? imo adeo operoſa deprehenditur antiquiorum contentio, qua diverſis partibus certam ſedem pro affectu pathetico & particulari pravo humore dicatam & deſtinatam adſignare non erubeſcunt, quemadmodum Lienem pro officina ſucci atrabilarii & ſede veneris atque riſus & hilaritatis quidam reputarunt; quanquam ipſi probe notare debuerint, quod ſanguis melancholicus & affectus libidinoſus non bene conveniant. Utut vero talem traditionem veritati haud reſpondere ſatis conſtet, negari tamen minime debet, quod in diverſis patheticis commotionibus variæ partes particulari motu afficiantur, licet ipſe affectus in iisdem propriam & genuinam ſuam ſedem non habeat: ita conſtat quomodo cor tanquam pars centralis & ad vitam principalis, in omni animi pathemate compatiatur; quomodo in iracundis & terrificis pathematibus hepar commoveatur; quomodo in nauſeabundis commotionibus ventriculus afficiatur; quomodo in libidinoſis affectibus renes & genitalia, imo hæmorrhoidalia loca agitentur & quomodo in melancholicis afflictionibus Lien conſentiat: ita cor & pulmones, quoad pulſus & reſpirationis alterationem in omni animi affectu compatiuntur: reliqua vero abdominis viſcera ad ſpecialiora animi pathemata, cum vitali negotio complicanda adhibentur: Non placet in hanc, aliàs utilem & curioſam animadverſionem ſpeciali ſtudio introſpicere, illud tantum ex hactenus dictis iterum colligimus & concludimus, quod in tali-

bus partibus non ſit efficacia illa tales affectus animi formandi & viciſſim morbos corporis ſolum alliciendi & conſtituendi : interim nullo modo negari debet aut poteſt,quod interdum morbus in talem partem ex alia cauſa inductus decumbat, adeoque ad animi & corporis alterationem ſub certis reſpectibus contribuat : Hoc qui perpendit, facile comprehendet, quod diverſi morbi, ad minimum quoad genuinam ſuam indolem, in communi pathologia nondum ſatis evidentes & comperti ſint, ſed adhuc ſub diverſis opinionibus torqueantur ut propterea cum *Auguſtino de Civit. Dei cap. 22.* ediſſerere debeamus, quod *non omnia morborum genera in medicorum libris comprehenſa* ſint, quid quod viciſſim ad imitationem Beati Patris aſſeramus, quod varii morbi in libris medicis reperiantur, qui in lectis ægrotantium, vel rariſſimè, vel ſub longè alio ſchemate obtingunt. Inter illos affectus corporis, circa quos in Medicina paſſim non exigua occurrit hæſitatio, merito allegandi ſunt morbi Lienis, quoniam non modo circa hujus partis uſum vitalem multiplices diſceptationes, oblocutiones & opiniones occurſant, ſed & quia antiquitus huic parti ſpecialis vis morbifica attributa & imputata fuit & cœteroquin ipſi illi affectus, qui hoc viſcus unà corripiunt,ſpeciali ratione ſe diſtinguunt,adeo ut animi & corporis ſic dictæ perturbationes in iisdem morbis coincidant. | Nimis temerarius conatus eſſet,de tam intricata conſideratione Theoretico-Practica paucis tantum pagellis diſſerere velle, cum Lien ipſe & hujus ægrotationes planiorem & latiorem interpretationem & explicationem mereantur, quapropter non placet

ſuper-

ſuperflua ſeligere, ſed tantum perquirere, quantum hac vice commodè fieri poteſt: dum itaque nobis incumbit Specimine Inaugurali thema quoddam utile & idoneum, exacte Practicum, uſui reali neque vano aut ſteriliter curioſo reſpondens, commendare atque explicare, propterea placuit *de Splenetico Malo* meditationes noſtras medicas proponere, inſuperque quoad palmaria fundamenta hunc morbum ſatis intricatum ſatisque delicatum, imo refractarium pertractare, quo hujus ſatis ſonticæ afflictionis origo, ſedes, cauſa, connexio & dependentia magis inclareſcat: Adſit huic noſtro propoſito DEVS Benigniſſimus, ſine cujus gratia affluente, noſtri conatus vani & infructuoſi erunt; adſit nobis ſua benedictione, quo hic labor feliciter ſuccedat, & veritatem, quo ſtrenuè tendit, ubique & undique aſſequatur.

§. I.

DE *Splenetico Malo* differentes, neceſſarium eſſe exiſtimamus, quo *prævia* quadam & *generali* adhuc animadverſione ſignificemus, quid *titulus* præſentis tractationis inferat atque promittat, cum in eodem adhuc aliqua *ambiguitas* hæreat, aut hærere *videatur*; ſicut enim nulla *pars* in toto corpore exiſtit, quæ non *variis* morbidis calamitatibus affici deprehenditur, ita inter reliquas *Lien* imprimis *ſingularibus* afflictionibus ſubjectus eſt, ut propterea *diverſa* illa ſint mala, quæ hanc partem corripere obſervantur: minime vero propoſitum noſtrum eſt *in genere* de *Lienis morbis* ſub titulo *Mali Splenetici* agere, licet hoc prædicatum *omnibus* Lie-

nis

nis morbis competere *poſſit*, ſed potius de *particulari* hujus viſceris calamitate acturi: Etenim vulgo dantur & nominantur diverſa ſignificatione *diſtincti* Lienis morbi, ut ſunt, *Inflatio, induratio, ſcirrhus, inflammatio, corruptio, dolorifica* afflictio, *ulceratio* &c. & quamvis ſinguli hi morbi ac ſatis ſingularia mala *haud frequentia* exiſtant, mirari tamen ſubit, cur in *Liene* non *numeroſiora* & ferme quotidiana talia mala obtingant: quando enim hanc partem curatius intuemur, tunc cum *magna* ſanguinis quantitate perfunditur, ut propterea *facile* in eadem periculoſæ *oppletiones*, *ſtagnationes* & *ſtaſes* ſanguinis obtingere *queant*, nam juxta probatorum anatomicorum teſtimonium, explicationem & ipſam quotidianam obſervationem, *copioſiores arteriæ*, quam *venæ* in *Liene* reperiuntur, ſiquidem *Spigelius de Human. corp. fabr. Lib. 8. c. 14.* dicit: *arterias habet a cœliacæ ramo ſiniſtro, quæ quintuplo plures ſunt, quam venæ*: hanc prærogantem *multitudinem* arteriarum etiam confirmant, *Laurentius*, *Highmorus*, *Diemerbroeck*, *Bartholinus* & multi alii: cum itaque à *tot* arteriis *tanta* ſanguinis copia in *hanc* partem, non æque admodum *capacem*, profluat, *venæ* vero numero *minores* eandem ſanguinis copiam *non ſufficienter*, neque ita *prompte* revehant, ita omnino admiratione dignum eſt, cur non *quotidianæ* ſanguinis *ſtaſes* & *ſtagnationes* in hoc viſcere obtingant, præcipuè cum *vena ſplenica* non ſolum ſanguinem *ſplenicum*, ſed *multam* copiam ſanguinis, è textura *ventriculi* per *vaſa brevia* affluentis, in *venæ Portæ truncum* transferat: & hac ratione non parum nititur vera atque *demonſtrativa Pathologia morborum Lienis*, licet non æque *antiquiorum* opinioni ſubſcribamus, qui propter copioſum ſanguinis *arterioſi* affluxum intra hanc partem, copioſiorem *impuritatum* coacervationem extorquere contendunt; quoniam ex legibus *motus progreſſivi* ſanguinis certiores & *evidentiores demonſtrationes* ſuppeditari poſſunt; interim hæc pars

citius,

citius, quam *alia* in corpore *impetuoſum* & moleſtum *affluxum* ſanguinis, *impeditum* vicisſim *refluxum* percipit, teſtimonio *dolorum* lancinatoriorum, cum *fortiori* corporis *commotione* & curſitatione intenſiori affligentium & conſpirantium.

§. II.

Sed dum de ſingulis Splenis Malis ſive Morbis hoc loco non acturi, ita per *Spleneticum Malum* talem *ſpecialem Morbum Lienis* intelligimus, qui non modo *præ aliis* hujus viſceris afflictionibus *paulo frequentius* obtingit, ſed & qui ratione *conſecutionis* in reliquos *prædictos* affectus *degenerare* poteſt; qui ob hanc ſingularem *prærogativam* & diſcretionem *ſpeciali* nota & deductione dignus eſt: eſt itaque hoc *Spleneticum Malum* ille affectus, qui cum variis *ſpaſticis*, *tenſoriis*, *diſtenſoriis*, *anguſtatoriis*, & *oppletoriis* doloribus atque moleſtiis in *ſiniſtro hypochondrio* primariò ſeſe exſerit, ut plurimum etiam ſub *concurſu* ſimilium afflictionum in abdomine *hypochondriacarum* procedit, adeoque eximium quoddam malum conſtituit, quod quidem nondum *obſtructionem*, *ſcirrhum*, *inflammationem* aut *corruptionem* eſſentialiter complectitur, attamen ſub futura *exacerbatione* per *accidens* in ejusmodi mala incrementa *degenerare* poteſt, adeoque principale *aliorum Malorum*, fundamentum atque *origo* exiſtit: vulgo hic affectus dicitur die Miltz-Sucht, Miltz-Beſchwehrung, Miltz-Kranckheit, Miltz-Weh qui in vernacula peculiari hac denominatione indicatur & ob *contumacem* ſuam indolem *Luei* notione prædicatur atque depingitur. Sed ne hoc *Malum Spleneticum* cum *reliquis* morbis ſplenis *confundatur*, aut pro *eſſentiali initio* aliorum morborum Lienis reputetur, quaſi *neceſſario* propterea hic affectus Spleneticus in *majora* illa accrementa inſoleſcere *debeat*, propterea ex *Hiſtoria Practica* vel unicum hoc monumentum & momentum tenendum & inculcandum erit, quod eximii ta-

les homines *Splenetici* conſtent quibus *nullus* ſcirrhus, nulla inflammatio, obſtructio, nullum ulcus &c. Lienis *accidit* & in quibus interdum hoc principale Malum *gravius*, aliquando *lenius* extitit: neque reticere volumus, ſed rotunde ediſſerimus, quod ſi prædicti illi periculoſiores & *acerbiores ſplenis* affectus obtingunt, communiter *craſſiores* & impetuoſioris efficaciæ cauſæ præcedere obſerventur, cum viciſſim Spleneticum Malum, de quo impræſentiarum diſſerere placet, *comparativè* non *toties* neque *tantas* craſſas cauſas & occaſiones ſequatur. Ne vero denique ille ſcrupulus quorundam animum occupet, atque detineat, quaſi hoc ſpleneticum malum *nihil aliud*, quam *alterius* principalioris & præcurrentis aut concurrentis affectus immoderatum *ſymptoma* ſit, ut propterea haud mereatur pro *peculiari* affectu declarari & explicari, ita quidem minimè negamus, quod hoc Malum in *alio* quodam morbo *radicem* ſuam habeat, ſed quod interdum etiam *plus*, quam *primarius* affectus affligat, ut propterea *peculiari* appellatione indicatus conſtet, imo quod illius adeò prægnantis mali indoles nondum *ſatis condigne* illuſtrata & explicata, nedum ejusdem *origo* ſufficienter indicata ſit, ut omnino multum referat hujus affectus *ſpecialiorem* deductionem commendare; præprimis quando nonnunquam obtingit, ut *primarius* affectus, ex quo hoc malum ortum capeſſere ſolet, ſub hoc ita *occultetur* & hic *Spleneticus* morbus tanquam *ſimplex* & *primigenium* malum compareat; id quod ex reliqua deductione magis eluceſcet.

§. III.

Peculiarem proinde hoc Spleneticum Malum annotationem meretur, quoniam non modo ex obſeruatione tum *antiquorum* tum *recentium* multorum medicorum, ſed & ex conſtanti ipſius *experientiæ* ſuffragio abunde conſtat, quomodo Lien ratione *morbidarum* ſuarum afflictio-

ctionum cum *variis* corporis *regionibus* & *partibus* conſentiat, quem *conſenſum* antiquiores anatomici & medici e diverſa *arteriarum* & *venarum* diſtributione explicare laborarunt ; quo inter alios *Spigelius* loco citato alludit, dum exponit per *quas vias* Lien *expurgari* ſoleat & inter illas *ventriculum*, *nares*, vias *urinarias* & *hæmorrhoidalia* loca commemorat : & licet *communio* illa quoad *ſpeciem facti* utplurimum quidem *vera* exiſtat, attamen *cauſa* hæc, quæ tantum *in vaſis* ſanguiferis inquiritur, veritati *non ſufficienter* reſpondet : illud interim hoc loco colligimus atque concludimus, quod *pathemata Lienis*, quia cum *ventriculo*, *hepate*, *inteſtinis*, *renibus*, locis *hæmorrhoidalibus* conſpirant, omnino uberiori & ulteriori commendatione & explicatione digna cenſenda ſint : & hæc utilis obſervatio non modo *Hiſtoriæ* medicæ illuſtrandæ & *confirmandæ* inſerviet, ſed & *Pathologiæ* morborum Lienis *emendandæ* & certiorandæ contribuet, ne tantum animus per *accidentales* atque *fortuitos* caſus & effectus ceſpitet & ſolidiores *morborum nexus* negligat, ſiquidem luculenta illa *harmonia* inter prædicta loca minime ſicco pede prætereunda, neque antiquis illis *progreſſivo* ſanguinis motui contrariantibus opinionibus relinquenda eſt : proinde ad minimum *indirectè* occaſio ſubminiſtrabitur, quo in *veriorem* ac certiorem Lienis *uſum*, circa quem medici hodienum valde *litigant*, introſpiciendi via atque occaſio præbeatur : neque parum hujus Mali cognitio inſervit, quo motus *progreſſivi* ſanguinis *ordo*, *ſucceſſus* & *connexa ſalubritas* intelligatur, aut quo viciſſim annotetur, qualia damna tam in *humores* quam in *partes* ex illius impeditiori decurſu redundent : tanto magis verò hæc obſervatio atque diſquiſitio præſentis ſpleneticæ afflictionis clavem ſuppeditabit, quo confuſa & *implicata pathologia* affectuum *hypochondriacorum*, *hyſtericorum*, *anomalicorum hæmorrhoidalium* & circa *venæ Portæ* ſyſtema vagantium,

libe-

liberetur, *enucleetur* & illuſtretur, ſiquidem Lienis *magna vis* eſt in affectibus hiſce *augendis*, confirmandis & exacerbandis: imprimis vero hunc affectum Splenetieum ſub *Mali* nomine denotavimus, quo ipſo *peculiarem* illius indolem indicare placet, ſicut *antiquioribus* medicis uſitatum fuit *ſonticos* quosdam affectus per diſcretionem & excellentiam *Morbos* nuncupare, quaſi propterea indole & *gravitate* ſua ab *aliis* morbidis afflictionibus *diſcrepent*: annitemur propterea quo hujus affectus veram *originem*, *indolem*, *nexum*, *progreſſum*, *bonum* & *malum eventum* deſcribamus, illiusque communem *complicationem* ſignificemus, ne in nudis *ſuppoſitionibus* & obſoletis *traditionibus* ſubſiſtamus, quando diverſis partibus diverſa *ſpecifica fermenta* aut particulares *prodigioſi* humores adſignantur & è *falſo* tali fundamento *ætiologiæ* quædam formantur: & licet hic affectus ob *extraordinarium* & morbidum ſuum ſtatum, imo ob *connexa* pathemata *præternaturalia* & dolorifica *Malum* appellari mereatur, attamen *quædam* circumſtantiæ in eodem occurrent, quæ *bonum* quendam *genericum* reſpectum continent, dum *imminentis* funeſti eventus *ſpontaneæ* quædam *expugnationes* concurſant.

§. IV.

Antequam ad ſpecialiorem præſentis affectus enarrationem & explicationem progrediamur, placet adhuc aliqua in genere monere, quæ ad *Hiſtoriam* & *ætiologiam* morborum Lienis tum juxta *veterum* tum *recentium* quorundam opinionem ſpectant, adeoque etiam præſens Malum concernunt: & quidem quod *veterum* ſententias attinet 1) minus *adæquata* eſt traditio, quaſi tot *obſtructionibus* ſubiectus ſit Lien, cum *in genere* obſtructio in toto corpore *rara avis* exiſtat; exinde prævia quadam animadverſione aſſerimus, quod *Mali Splenetici* eſſentialis & *propria* cauſa non ſit *obſtructio*: 2) attamen ob magnam

arte-

arteriarum, *multitudinem* in Liene, *mirum* eſt, cur *vera* obſtructio non *frequentius* actu obtingat, licet numeroſius obtingere *poſſet*: 3) quod porro illa portentoſa *intemperies*, quam antiquiores in *Liene* accuſarunt, nimis *obſcura*, minusque demonſtrata ſit, adeoque pro cauſa tum morborum ſpleneticorum in genere, tum *præſentis* mali non facile agnoſcenda ſit, neque æque 4) noſtris *climatibus* & *corporibus Hippocratis* animadverſio congruit, quando *Lib. IV. de Morbis. §. 15. text. 1.* dicit, quod *caput atque ſplen maxime morbis obnoxia* ſint; id quod hoc loco de *ſplene* aſſeveramus, quod *actuales* morbi ſplenetici non ita nimis *frequentes* ſint, ac *aliarum* quarundam partium afflictiones: neque 5) illa opinio *veritati* ſatis conſona eſt, quæ *Lienem* pro *officina* & *ſentina* ſanguinis *fæculenti, melancholici, tartarei*, ac ſimpliciter *craſſi* & *viſcidi* habet & denigrat, & exinde *reliqua* Lienis pathemata deducit, cum *idem arterioſus* ſanguis in hoc viſcus transferatur, qui *aliis partibus* affunditur, imo cum non *ſpecialis* talis *dyſcraſia* ſanguini in *Liene* accidat, qualem *antiquiores* accuſant & abhorreſcunt: neque 6) illi *antiquiorum* ſententiæ accedimus, quæ propterea *ſingulares* Lienis morbos eſſe credit ac ſupponit, quia Splen non tanto *naturali calore* præditus eſſe fertur, ac quidem *alia* pars exiſtit: neque 7) juxta antiquiorum *ſtylum* & *ſenſum* vera eſt aſſertio, quod Lien ſe repurget per *Hæmorrhoides* aut per *nares*, licet utraque obſervatio de *Hæmorrhoidibus* & *Narium Hæmorrhagiis* in *Lienoſis* ſalutaribus *vera* ſit, interea ſanguis *ſtrictè dictus ſpleneticus* per has vias non ventilatur: neque 8) *confuſioni neotericorum* nos immiſcemus, qua interdum præter necesſitatem atque rationem *flatulentia* in inteſtinis craſſis occluſa pro affectu *Splenetico* declamatur, aut affectus ſplenis pro nuda inteſtinorum flatulentia declamantur: neque 9) Lienem pro laboratorio *recrementitii* humoris agnoſcimus, quam ſententiam impugnavit *Hel-*

montius in Scholaſtarum Humoriſtarum paſſiva deceptione Cap. I. §. 73. conf. Hœchſtetterus Dec. 5. caſ. 1. ſchol. Platerus Lib. 1. Prax. T. 3. c. 2. Piſo de Liene. Bauhinus Anat. Lib. 1. c. 43. Reuſnerus de Scorbuto exc. 4. Galdenklee Reſp. 45. multique alii neque 11) *ſpecificum* quoddam *fermentum* in hoc viſcere ſupponimus: neque 10) *Helmontianum* illum *Duumviratum* pro explicando affectu noſtro, ſupponimus aut *idoneum* agnoſcimus: neque 12) Lieni neceſſariam & ſufficientem ſenſationem *denegandam* eſſe cenſemus, cum eadem ſeſe in noſtro affectu abunde monſtret: neque 13) *rationis* mutationes, quæ cum *Spleneticis* affectibus facilè concurrunt nudè *phyſicæ energiæ* & materiali potentiæ *effectivæ* in *animum* adſcribendas eſſe judicamus: neque 14) ipſos morbos Splenis *inter ſe* confundendos, ſed in *complicatione* & *conſecutione* ſua bene obſervandos & *diſcernendos* eſſe aſſeveramus: neque denique 15) conſultum eſſe æſtimamus, in dijudicandis Lienis morbis *Hiſtoriam* & *Pathologiam Hæmorrhagiarum Spontanearum* negligere, cum non modo *Lien* ſit pars admodum *ſanguifera* ſed & cum *motu* ſanguinis *progreſſivo* exquiſitè communicet, ut ſubinde *Cælius Aurelianus Narium Hæmorrhagias Lienoſis utiles* prædicaverit *Lib.* 3. *c.* 4. & *Hippocrates* aſſeruerit, quod *Lienis morbis non corripiantur, qui Hæmorrhoides habent:* de qua conſideratione in proxima deductione pluribus diſſerere placet, ut adhuc in generaliori hac tractatione non neceſſarium eſſe deprehendamus, quo mox in ſpecialiariores obſervationes conſcendamus.

§. V.

Quod *ſuffragia* antiquorum Medicorum quoad *præſentem* affectum *Spleneticum* attinet, tunc non multus labor erit ejusmodi teſtimonia producere: neque quidem probatis & expertis medicis talis affectus *incognitus* eſſe poteſt: brevibus tantum *Hippocratis* teſtimonium allegare lubet: hic in *Libro de Internis Affectionibus* à §. 33. usque §. 37. *quinque peculiares Splenis* morbos deſcribit:

inter

inter hos verò quoad *eximias* circumſtantias *noſtro* cum affectu *convenit* ille morbus quem §. 35. delineat, dum dicit: *alius Splenis morbus fit, in anno, veris maxime tempore, verum à ſanguine: cum enim repletus fuerit Splen ſanguine, erumpit in ventrem, & dolores acuti in Splenem incidunt - - - & quæ primum infra ſecedunt ſanguinolenta ſunt & æruginoſa, & venter durus ſubit & Splen velut Lapis eſt: hic morbus magis lethalis eſt, quam priores:* hæc *ultima* circumſtantia forte *climati* loci & nationi magis appropriata exiſtit: notatu vero dignum eſt in hoc affectu, quod *a ſanguine* veniat, quod cum hoc Splen *repleatur*, quod ſi repletus fuerit, denique *erumpat*, id quod præcedentem nimiam repletionem inſequitur; quod erumpat in *ventrem*, non quidem in cavitatem abdominis, aliàs ſanguinolenta non *ſecedere* poſſent; hinc ſanguis vel in *ventriculum*, vel intra *inteſtina* perrumpit; quod *pharmacum ſurſum purgans* in hoc affectu non exhiberi debeat, quod *dolores* ſplenem corripiant, quod *venter* & *Splen indureſcant*: quod in hoc affectu à Sene *Vſio* ordinetur, quod *abſtinentia* a *venere* & *ebrietate* commendetur, utpote quæ non ſine magna commotione fiunt: ad quas circumſtantias in *reliqua* noſtra deductione advertemus, & *affinitatem* hujus morbi cum *Malo Splenetico* indirectè demonſtrabimus: imo merito adhuc ad *quintam* ſpeciem *Morbi Lienis* quam *Hippocrates* §. 37. proponit animum dirigimus, quæ perinde *haud parum* cum noſtro affectu *convenit*: hanc ſenex ita depingit: *fit autumno maximè ab atrabile - - patitur itaque æger hæc: cum morbus corripuerit, Splen valde dolet, & rigor & febris comprehendit & inedia habet ipſum & cibos averſatur, & corpus cito concidit: Splen autem magnus quidem non valde fit, verum durus:* in fine addit: *hic morbus in plerisque ſi ſtatim curatus fuerit, brevi decedit:* in hoc morbo notari debet, quod affectus *autumno* fiat, & quidem ab *atra bile*, quod Splen *doleat*, quod *rigor* corripiat & *febris*. (*Hippocrates* vero non di-

cit

cit qualis febris ſit uti in §. 33. febrem *acutam* nominat, unde nobis *veriſimile* videtur, quod *febrilis* tantum commotio fuerit) & quod Splen *durus* evadat, utpote quæ phænomena æque in *noſtro* affectu occurrunt: è quibus deſcriptionibus morborum Splenis colligimus, quod *Hippocrati* tales afflictiones, quæ *Malum Spleneticum* æmulantur, imo ex parte conſtituunt, non plane *incognitæ* fuerint, cujus *ſuffragio* itaque hoc loco uti licebit: & licet affectus non quoad *ſingulas* & *minutiſſimas* circumſtantias conveniant, tamen *climati*, *vitæ generi*, *naturæ* hominum, *ſenſibilitati*, *diætæ* aliisque cauſis externis diſcretis aliquid adſcribendum erit: Quidquod præterea ad *commune* Medicorum ſuffragium confidenter provocare poſſumus, quod affectus tales *ſpeciales*. Splenetici *hypochondriacis* morbis vel ſua *ſponte* conjungantur, vel ex *malo regimine* combinentur, vel quod nos adhuc annectimus, ex *malo artificio* communicentur; ubi etiam ad illam ſpeciem *hujus Splenetici Mali* reflectimus, de qua nobis impræſentiarum ſermo erit, ita ut non ad confirmata & *exacerbata illa* pathemata Splenetica animum dirigamus.

§. VI.

Pro meliori præſentis affectus *diſcretione* placet adhuc in *generali* tractatione aliquot notatu dignas animadverſiones præmittere & commendare 1) quod hic affectus, de quo impræſentiarum dicturi, ratione *indolis* ſuæ præ perfecta *ſcirrhoſa* induratione, *inflammatione* & *ulceratione*, *benignior* exiſtat, proptereaque non tam *ſubitaneis* alterationibus facilè expoſitus ſit: 2) quod in *variis* ſubjectis hic affectus in *graviora* talia pathemata *minime* degeneret, attamen *ſatis diu* afflictiones & *tragœdias* ſuas ludat & in *ſimpliciori* ſuo ſtatu, qualis ipſi *competit*, perſiſtat: 3) quod hic affectus non niſi valde *exacerbatus* & ultra ſuum gradum & ſtatum impulſus denique in prædicta pathemata transeat, & tunc demum *quaſi novam indolem* at-

que

que faciem induat & ex hoc *accidenti* in prima *ſimplici* ſua conſtitutione graviter alteretur, adeò ut inter priorem & poſteriorem talem ſtatum magna *differentia* intercedat: 4) quod *interdum* eveniat, ut prædicti affectus Splenetici ob cauſarum *repentinam efficaciam*, *ſubito* generentur, ita ut *hoc malum*, de quo nobis ſermo eſt, *plane non* præcurrat, adeoque evidens intercedat differentia: 5) quod hoc malum juxta *Hippocratis* annotationem, ſi *ſtatim* curatur, *brevi* decedat, neque in illos *vehementiores* & ominoſiores affectus tranſeat: 6) quod tamen ratione *cauſarum* hoc malum Spleneticum cum *reliquis* commemoratis Splenis morbis *conveniat*, adeoque quoad *accrementum* ſuum atque *conſecutionem* cum hiſce non parcam *affinitatem* habeat: 7) quod tamen & *Spleneticum hoc* Malum & *reliqui* Lienis affectus è *diverſis* aut diſcrepantibus *cauſis* ortum trahere ſoleant, ut itaque minime *ubique* & *abſolutè* convenire & cohærere debeant: 8) quod Malum Spleneticum longe *proximius* ad affectus *Venæ Portæ* explicandos atque illuſtrandos, quam *reliqui* morbi Lienis inſerviant, de qua conſideratione exquiſitius egit *Illuſtris Stahlius Diſp. de Vena Portæ Porta Malorum Hypochondriaco-Splenetico- &c. item de Malo Hypochondriaco Hyſterico:* 9) quod propterea *hujus Splenetici* affectus explicatio *apprime* quadret ad *confirmandam* ætiologiam *Hæmorrhagiarum* & moliminum hæmorrhagicorum: 10) quod *conſenſum motuum* atque *partium* in abdomine admodum illuſtret & commendet, quemadmodum *antiquiores* ſimilem conſenſum, è *falſa* tamen *traditione*, deſcribere laborarunt, quaſi lien ex *hepate attrahat* ſuccum *melancholicum*, ut *Galenus* explicavit *de Locis affect. Lib. 6. de Fac. Nat. Lib. 2. de uſu Part. c. 4. Hœferus Herc. Med. Lib. III. cap. 3. Horſtius, Sennertus & multi alii*, quaſi intra *ventriculum* dimittat ſpeciale *fermentum* & ſingulares affectiones *conf. Zacut. Luſit. Med. Princ. Hiſt. Lib. II. Hiſt.* 112. *p.* 380. *& Lib. VI. Hiſt.*

 IV.

IV. p. 929. quaſi è *Liene* in loca *hæmorrhoidalia* decidat ſanguis *fæculentus*, craſſus & *ponderoſus*, quaſi à *cæliaca* vena *ad emulgentes & ex his per renes & ureteres ad veſicam*, ut *Spigelii* verbis utamur, humores illi *ſuſpecti*, qui *Lieni* vulgo adſcribuntur, transferantur: addit hic author loco ſuperius citato: *unde Hippocrates Lib. de int. aff. Lienoſis diuretica jubet præſcribere & Lib. de ext. aff. bilioſis qui magnum Lienem habent, ac ideo pravi ac fœdi coloris ſunt, malignaque contrahunt ulcera, urinas vult ſubduci.* 11) quod hic morbus Spleneticus propterea ex *ſingulari* plane fundamento & reſpectu *indubio*, ex *Hiſtoria Practica* petito, tractari atque *curari* debeat: & quod 12) denique hic affectus quoad *proprias* & *ſpeciales* ſuas circumſtantias cum *aliis* ſplenis morbis minime *confundi*, ſed attente & *diſcretivè* annotari & pertractari debeat, ut illius *converſiones, complicationes, conſecutiones* & *accidentales* immutationes & *exacerbationes* bene ſignificentur & affectus in *ſimplici* ſuo ſtatu atque genuina indole ritè deſcribatur.

§. VII.

Et ita nos jam convertimus ad *Hiſtoricam* præſentis Mali Splenetici delineationem, in qua primo loco de *ſubjecto* & aliquot circumſtantiis in illo occurrentibus ſermonem inſtituemus: in hoc ſubjecto vero *quatuor* ſingulares conditiones annotandæ erunt, videlicet *Ætas, Temperamentum, Sexus* & *vitæ genus*: quoad *Ætatis* conſiderationem quæſtio movetur, ad quamnam *ætatis periodum* hic morbus pertineat; *multum* enim in *Hiſtoria Practica* refert noſſe *differentias* Morborum quoad *ætates*: notandum itaque eſt, quod hic affectus magis *vegetiori* & *juniori* ætati, quam *valde* adultæ familiaris obſervetur; interim negari non poteſt, quod *è juniori* ætatis periodo *in adultiorem* continuare & *progredi* ſoleat; deinde loquimur hoc loco de tali affectu Splenetico in quantum magis *tacite* & *ſponte* oritur, neque à cauſa tam manifeſtè *violenta* pendet, aliàs

in

in adultiorem aut valde puſillam ætatem Splenis morbi in genere incidere conſpiciuntur: *familiarius* verò hic affectus, de quo nos diſſerimus, à *vigeſimo* ætatis anno ad *quadrageſimum* ſubjecta corripere deprehenditur, neque *infantili*, *puerili* aut *ſenili* ætati familiaris exiſtit: Quod *Temperamentum* concernit, tunc *eadem* ſubjecta ad hunc ſpleneticum affectum diſpoſita ſunt, quæ ad *Hypochondriacam* paſſionem ſubeundam apta obſervantur: huc vero præcipuè quadrat *Melancholicum* Temperamentum, deinde etiam *ſanguineum*, quando cum melancholico *coniunctum* eſt: ob id veteres pro *cauſa* affectuum *ſpleneticorum* maximè accuſarunt ſanguinem *ſpiſſum*, *craſſum*, *viſcidum*, *fæculentum*, *terreſtrem*, *acidum*, qualem vulgo etiam *Melancholico* Temperamento aſſignarunt: neque quidem propterea valde *prædominanter* ſanguinei homines huic afflictioni ſubjiciuntur, niſi ob *alias cauſas* illorum Temperamentum ita *alteretur*, ut *Melancholicum* ſuſtentet aut confirmet: Quoad rationem *Sexus* iterum è *familiariori* eventu dicimus, quod affectus ſplenetici *maſculino* Sexui uſitatiores exiſtant, non vero propterea *penitus ſequiorem* ſexum excludimus, ſiquidem probe nobis conſtat, quod *fœminæ* etiam ob *Menſium vitia ſpleneticæ* factæ fuerint, quæ ſubinde interdum *toties* afflictionum *ſpleneticarum exacerbationes* cum *Menſtruis recurſibus* atque *periodis* experiuntur, quoniam vero *ordinariè* fœminæ Menſtruis *ſanguineis purgationibus* obnoxiæ ſunt aut *ingravidationi* & *puerperiis* exponuntur, ita ſplenetici affectus non *tot cauſis efficacibus* ſubmittuntur, ac in *maſculino* ſexu contingere ſolet: Denique *vitæ genus* in ſubjectis annotari debet, ubi præcipuè ex *Hiſtoria vitæ ſpleneticorum* inclareſcit, quod illorum *diæta irregularis*, *ſpiſſa* & incongrua ſit, uti *Hippocrates* in loco ſuperius allegato in *Libr. de int. aff.* in *quinta* Morbi Lienis ſpecie accuſat comeſtionem *olerum* multorum *crudorum* & *aquæ* potum; unde non niſi *mala concoctio*, *mala digeſtio* & *mala ſanguificatio* ex-

 pe-

pectanda eſt, imprimis vero ut humores *impuri* & *ſpiſſi* evadant: deinde obſervatur quod utplurimum hoc *ſplenetico* malo detenti *ſedentariæ* vitæ dediti ſint & ita parum corpus exerceant atque commoveant, hinc *ſolitudinem* ament, hominum conſortia fugiant, ea propter denique *melancholicis mentis* perturbationibus exponantur: hinc expertis medicis innotuit illud probatum admodumque congruum conſilium *Plautinum*, quod arguto & concinno dicterio commendavit: *ambula! hoc Lienoſis prodeſt.*

§. VIII.

Altera animadverſio, quæ ad hiſtoricam præſentis affectus explicationem ſpectat, verſatur circa illius *frequentiam* in Praxi medica, ubi quidem *in genere* notandum eſt, quod *varii Splenis* affectus paulo *rarius* obtingant, propterea que non æque vulgo *diffuſa* illorum mentio injiciatur, ita ut in Practicorum ſcriptis *æque rarior* obſervetur morborum ſpleneticorum tractatio; ad minimum in illorum commendatione reſpectus *cauſales* valde *fugitivè* percurruntur: attamen quando de noſtro affectu ſermonem inſtituere placet, non æque *perquam infrequens* ipſe deprehenditur, quoniam *multi hypochondriaci*, neque etiam *exigui corrupti hæmorrhoidarii* hoc affectu ſub reliqua ſua calamitate corripiuntur, ita ut nonnunquam reliqua pathemata *hypochondriaca* & *hæmorrhoidalia* videantur in affectum hunc *ſpleneticum conuerſa* eſſe, licet interdum etiam obtingat, ut dum hoc malum *ſpleneticum* paullulum *remittit*, reliqua *hypochondriaca* & *hæmorrhoidalia* incommoda *acerbius* alternent: ob id in Medicina *Practica* minime incognita, ſed abunde aut *ſufficienter obvia* eſt ſplenetica hæc afflictio ſub *hypochondriaci* morbi decurſu, licet deinde quoad *cauſalem* hujus pathematis deductionem multi medici non parum litigent, quoniam eiuſmodi effectum a multis temporibus *flatulentiæ* adſcribere contendunt: de qua conſideratione inferius in *pathologica* tractatione dicturi;

ri: Proinde notari & indicari meretur, quod hoc Malum Spleneticum ſatis ſæpe *certas periodos* aut *ſtataria* tempora ſervare ſoleat, dum in *maſculis* communiter vel *verno* vel *autumnali* tempore mutari & *exacerbari* conſpicitur, & notatu digna eſt obſervatio Hippocratis quando de una ſpecie morbi Lienis l. c. dicit: *alius morbus ſplenis fit in anno, veris maxime tempore, verum à ſanguine*, de altera vero ita eloquitur: *alius Splenis morbus fit autumno maxime ab atra bile:* cum quo poſteriori textu conſentit *Sect. III. aph. 22. autumno fiunt* --- *Splenes* quo ipſo Senex *duplex tempus* & *duplicem humorem* cuilibet tali tempori competentem, ſignificat: illud etiam omnino ita eſt, ut ſubjecta, hoc ſplenetico affectu laborantia, hiſce periodis afflictionis ſuæ pathemata *acerbius* & *ſenſibilius* experiantur; quibus *ipſis* temporibus & *hypochondriaci* & *hæmorrhoidarii* affectus in *majori* commotione ſunt, per quam circumſtantiam & *horum* affectuum & mali *illius* ſplenetici *convenientiam* comprobo, ſiquidem *haud ita demonſtrativè* comprobari poteſt, quod *flatus*, (qui ex alia ſententia loco ſpleneticorum pathematum accuſantur) prædictis *exquiſitis periodis* recurrant & corripiant, aut quod veteres *eadem certitudine* & ſolertia flatuum moleſtias *certis* & *exquiſitis* temporum terminis dicaverint, qui potius vel *primariorum* affectuum concurſans *ſymptoma* ſunt, neque *dignitate* ſua *alia* ſymptomata & pathemata in *uno eodemque* affectu ſuperant vel magis ab *externis* cauſis *quocunque* tempore invitari & *exacerbari* poſſunt & ſolent: neque denique oblivioni tradere lubet illam circumſtantiam, quod in *fœminis ſpleneticis*, quibus hoc malum è *Menſium vitiis* accidit, *exacerbatio* illius communiter *Menſtruis periodis* eveniat: ex qua animadverſione facile judicare licet, quomodo tale Malum *haud ita fortuitum*, turbulentum & ab *extraneis* cauſis *ſimpliciter* concitatum ſit, ſed quod *ſolidior* ratio invenienda, *proponenda*, *connectenda*, *applicanda* & in tota medicina com-

probanda ſit, cur affectus talis tam *certis* terminis recurrat & increbeſcat: quemadmodum obſervationes tales *Hippocrates* non ſine *eximio* ſtudio annotavit & inculcavit: & hæc obſervatio eo inſervit, quo hujus mali *originem*, *nexum* atque *cauſam* eo melius invenire, *demonſtrare* & aggredi queamus: ſiquidem id *experientiæ* eſt, ut, ſi hoc malum ex *Hæmorrhoidum* turbis ortum traxit, tunc & *illo* tempore *ſenſibiliores* & majores ſuas exacerbationes exhibeat, *quo* motus *hæmorrhoidales* unquam majores & operoſiores fuerunt.

§. IX.

Jam ad ipſum affectum luculentius deſcribendum nos accingemus, ubi primo notabimus *ſigna* huic affectui *eſſentialia*, deinde reliqua vel *accidentalia* vel *concurſantia* alia indicabimus: quod *priora* attinet ante omnia locus & *ſedes* Mali deſcribi debet, ſiquidem *Illuſtris Stahlius diſp. de Malo Hypoch. Hyſter. p. 21. 22.* dicit: *Dolores in regione hypochondriaca ſiniſtra alte ſub coſtis non antrorſum verſus ſcrobiculum cordis ſed retrorſum in lumbari regione, non infra coſtas nothas, ſed directè introrſum ſub coſtis nothis*: quæ deſcriptio facilè indicat, quod *Splen primarium* horum dolorum locum conſtituat: conſiſtit hic affectus in doloribus ſatis *ſenſibilibus* & per *gradus increbeſcentibus* iterumque per *intervalla remittentibus*; ſunt vero tales dolores *tenſorii*, *diſtenſorii*, interdum *lancinatorii*, *oppletorii*, *gravativi*, quaſi *pondus* moleſtum *ſiniſtrum hypochondrium* oneret; concurrunt aliquando dolores *ardentes*, qui tamen *ſub reliquis* dolorum ſpeciebus *alternant* atque remittunt: deinde aliquando plane evidenter *inflatur* & *inturgeſcit* Lien, ſub continuatione dolorum *diſtenſoriorum* & *oppletoriorum*, qualis inflatio etiam per *externum* contactum explorari poteſt, ſed quæ magis *aduentitia* eſt: ſiquidem *Galenus de Loc. aff. Lib. VI. c. 1.* aſſerit, quod *tales inflationes facilè tactu deprehendi* queant, cui aſſerto vero *C. Hoffmannus Inſtit. Lib. 3. c. 64.*

con-

contradicit, dum nimis *profundum* Lienis ſitum accuſat, quo minus eiuſmodi explorationi affectus talis pateat; unde potius de *inſignibus* Lienis *obſtructionibus* admittit, quod tactu percipi queant: haud vero hæc oblocutio *adeo certa* eſt, quin *citra actualem* & conſtantem obſtructionem & *induratione*m talis *inflatio* per *intervalla* recurſans ſatis *manifeſta* ſit, ut non modo patientes tandem bene percipiant, ſed & *oculi* illam conſpicere & *manus* palpare queant: per *initia* vero hæc inflatio *non admodum* dura exiſtit, ſed *tactui* cedit, interdum vero *augeſcit* & paulo *firmior* evadit, poſt aliquot horas aut dies denuo *evaneſcit*, alio tempore *recrudeſcit* & ſi denique affectus *major* evadit & Lien in *ſcirrhoſam* duritiem degenerat, tunc eo manifeſtior illa *externa* protuberantia eſt: *quamdiu* dolores in hoc ſiniſtro hypochondrio angunt, *tam diu* affligit magna *anguſtia*, ut patientes cum multo *anhelitu* & interruptis *ſuſpiriis* reſpirent: deeſt ſubinde *appetitus*, imminuuntur *vires*, turbatur *ſomnus*, impeditur *motus voluntarius* corporis, neque patientes *ſolidiora* alimenta perferre poſſunt, ſed ex illorum ingeſtione *majores* anguſtationes experiuntur, ut *frigidus* etiam *ſudor* erumpat: inde etiam *animus* magis angitur & perturbatur: corripit etiam ſtatus *aſthmaticus*, patientes ſub *accremento* hujus Mali magis *deſidiæ* adſueſcunt, *ſolitudinem* amant, *meditabundi* & *anxii* evadunt, denique in *actualem Melancholiam hypochondriacam* incidunt, ſicut attentis obſervatoribus id ſatis cognitum exiſtit & ita hæc *animi* perturbatio indicium *exacerbati* & *confirmati* illius mali eſt: habet vero omnino hæc afflictio ſua *intervalla*, dum interdum *remiſſior* eſt, alibi vero denuo *acerbius* corripit & aliquandiu perſiſtit, neque æque ſemper *neceſſe* eſt, ut ſub tali *ſiniſtri* hypochondrii calamitate *flatulentia* concurrere debeat, quemadmodum viciſſim talis *ſplenetica* afflictio *ſine flatuum* emiſſione *ceſſat* & remittit; illud tamen adhuc annotatione dignum eſt, quod ſi *gravius* dolores ſiniſtrum

hoc

hoc hypochondrium detinent, in *alia* regione *reliquæ* concurrentes moleſtiæ *tam diu* paulo *mitiores* deprehendantur.

§. X.

Præter has *primarias* moleſtias, Malum hoc prodentes, variæ *aliæ* concurſant, imprimis vero pathemata *hypochondriaca*, *ſpaſtica*, *tractoria*, *tenſoria* per abdomen discurrentia, unde etiam *Sennertus* tam *frequenter* in mali *hypochondriaci* explicatione *Lienis* afflicti mentionem injicit: exſerunt ſeſe *hi dolores* tractorii in *medio* abdominis & interdum *retrorſum* per dorſum in regionem *oſſis coccygis* abeunt, ubi tamen *internè magis* hæc moleſtia percipitur quam *externè*: contingunt propterea hæ tenſoriæ & ſpaſticæ calamitates in *meſenterio* & *illa lacinia*, quæ ad *inteſtinum rectum* tranſit, ubi *vena hæmorrhoidalis interna* accurrit: ſub tali Malo fermè communiter affectus *hypochondriaci* & *hæmorrhoidales* concurrunt: *quotquot* itaque *alia* pathemata cum *hiſce* coincidunt, *tot* fere etiam ſeſe *Malo ſplenetico* conjungunt: ut ſunt *flatulentiæ* per *vices* invadentes & ſimul *angentes*, apprimè tamen *diſcretæ* à *primario* illo ſplenetico affectu, ita ut patientes etiam *utramque* moleſtiam probè attendentes *diſtinguere* ſciant: accidit interdum valde moleſta & frequentius repetens *cordis palpitatio*: interdum *compatitur Hepar*, in quo æque dolores *tenſorii*, *diſtenſorii*, *pulſatiles* & *ardentes* nonnunquam percipiuntur: angunt aliquando *ructus*, affligit quandoque *nauſea* & anxius *vomendi conatus*: concurrunt *obſtipationes* aut *ſiccitates alvi*, interdum in *inteſtino recto* percipitur inſolitus *ardor*: accidunt dolores in *coccygis* regione *tractorii fixiores*, inſtar *cunei* aut *pali infixi*, qui præcipue *acerbiores* evadunt, quando patientes *inferius* corpus commovent: de *urina* dicit *Excell. Stahlius in diſp. de Vena Portæ Porta Malorum p. 39. urina eſt vel tenuis & pallida, vel contra craſſa & ſubruſſa, qualis in Hepatis quo-*

que

quæ infarctibus, ad inflammationem tendentibus, profluit: non raro *caput* in *conſenſum* trahitur, quam moleſtiam antiquiores *vaporibus acidis* è *Liene* intra caput *adſcendentibus* adſcribere ſveverunt: *dolor* vero capitis eſt *obtuſior*, & interdum præter *gravativam* moleſtiam cum *vertiginoſa* perturbatione conjunctus: interdum conjungitur *ſicca* & tranſitoria *tusſis*, quæ cum mali *exacerbatione* concurrit: *ſomnus* eſt turbatus; affligunt plane *inſomnia terrifica* quæ vulgo nominant ſchwehre oder ſchwehrmüthige Träume: corripit inſolita *laſſitudo* & virium dejectio: nonnunquam, *æſtus volatici* ſive phlogoſes contingunt: quo *acerbius* affectus continuat, eo magis nonnunquam *febriles* commotiones *pomeridianæ* irruunt, quaſi *hecticodeum* ſtatum prodant: interdum *alternat* & abdominis inſolita *inflatio* & dolorifica *tenſio* atque *durities*; *concoctio* eſt difficilis & turbata: ſub *augmento* hujus mali immutatur *color naturalis* & patientes *lividum*, *obſcure pallidum* aut *nigricantem* conſpectum induunt; & quo magis hoc malum *inſoleſcit* atque in *ſcirrhoſa* & *ſcorbutica* pathemata degenerat, eo magis *externus* corporis *color & conſpectus* immutatur; imo experientia teſtatur, quomodo ſub *contumaci*, tum *primarii* hujus mali, tum horum *ſymptomatum* accremento ſuſpecti *ſudores* magis *defatigantes* quam *levantes* concurrant: *quam diu* vero ipſum *principale* Malum *mitioris* indolis eſt, tam diu *ſymptomata* communiter *remisſiora* exiſtunt; quæ vero *ſi* undecunque *exacerbentur*, *tunc* eo magis ſpleneticum affectum augent: undè etiam hoc loco notari debet, quod, ſi affectus *hypochondriaci* magis in *Spleneticum* hunc morbum *decumbant*, tunc *reliqua* & hoc quidem ordine recenſita pathemata, ut *ſymptomata* cohærentia huic affectui *conjungantur*: illud etiam iterata vice inculcamus, quod *hæmorrhoidales* commotiones fere *communiter* cum *hoc Malo* præter reliqua *hypochondriaca* pathemata concurrant, ut ex ipſa Hiſtoria mox li-

que-

queat, quanta *inter hos affectus communio* intercedat, quæ obſervatio propterea ad *meliorem ætiologiam* ſingulorum horum pathematum quadrabit.

§. XI.

Brevibus adhuc placet aliquot neceſſarias animadverſiones ad *hiſtoricam* præſentis Mali Splenetici tractationem addere, & quidem quænam notatu dignæ circumſtantiæ hoc malum *antecedere* ſoleant & cum quo *effectu* illud *excurrere* conſpiciatur: quod *antecedentia* quædam *notabilia* ſigna attinet, tunc evenit, ut communiter affectus *hypochondriaci* & interdum motus *hæmorrhoidales* præcurrant; imo quod hos *poſteriores* concernit, tunc accidit, ut nonnunquam *actuales* profuſiones hæmorrhoidales antecedant, aut ut tantum *molimina hæmorrhoidalia* præcedant; quodſi vero contigerit, ut vel *motus* vel *fluxus* hæmorrhoidales *perturbati* & *repreſſi* fuerint, tunc interdum affectus decumbunt & convertuntur in *Spleneticas* tales afflictiones: quare *Galenus Comm. II. aph. 6. Hæmorrhoides Lienis fœtum* vocat & *utriusque communionem* eo ipſo inculcat, imo hinc *Hippocrates* dixit, quod *Lienis morbos* non experiantur, qui *Hæmorrhoides* habent: quo ſpectant tot probatorum virorum ſuffragia, quibus varii *Lienis Morbi* ex Hæmorrhoidibus *ſuppresſis* commemorantur, uti *Foreſtus Lib. 20. obſ. 2. in ſcholio* Lienis tumorem & obſtructionem ex *Hæmorrhoidibus ſuppresſis* provenire aſſerit: quod teſtatur *Sennertus Prax. Med. Lib. III. Part. 4. c. 3. & 5.* ita *Grems in arb. integr. & ruin. hom. p. 107. n. 78. 79.* de Liene dicit quod *per Hæmorrhoides ſe repurget*: perinde conſenſum inter *Melancholiam* ex *Hæmorrhoidibus ſuppresſis* ortam cum *Liene* monſtrat *Zac. Luſit. Prax. Hiſtor. Lib. I. obſ. 50.* vicisſim *Galenus Com. 6. de morbis vulgaribus in fine* monſtrat, quod *Hæmorrhoides* in *duratum Lienem* ſanent,

non

non minus *Hœferus in Herc. Sax. Lib. III. c. 3.* monſtrat conſenſum *Hæmorrhoidum* cum affectibus *Splenis* & *vomitu cruento*, eundemque cum exemplo *Ferdinandi Tertii Imperatoris Splenetici*, qui motus *hæmorrhoidales* & *vomitum cruentum* expertus eſt, illuſtrat & confirmat; de qua obſervatione pluribus egit *D. D. Præſes in Diſp. de Conſenſu Hæmorrhoidum cum morbis Splenis*, quemadmodum plura talia teſtimonia proferunt *Riverius*, *Platerus*, *Mercatus*, *Capivacius*, *Foreſtus*, *Lælius à Fonte* multique alii: huc referenda etiam eſt illa circumſtantia, quando ſubjecta quædam *antehac* in *mobiliori* vita & *tenuiori* atque *leniori* diæta conſtituta fuere, *poſthac* vero & *craſſiori* diæta utuntur & *ſedentariæ* magis vitæ indulgent, inde accidit, ut tam ad *hypochondriaca*, quam *hæmorrhoidalia* pathemata diſponantur, quæ ſi in *irregulari* vivendi ratione *continuant* & ſubinde *malis artificiis*, imprimis *vomitoriis*, *acribus carminativis*, *præmaturis volatilibus*, aut *actualibus adſtringentibus* tractantur, tunc ad Malum hoc *Spleneticum* ſubeundum præparantur, imo plane præcipitantur: denique inter alia phænomena quæ malum hoc antecedunt merito ex Hiſtoria Practica recenſenda eſt *Menſium ceſſatio*, quæ poſthac uti *in genere*, ita ad hunc *ſpecialem* morbum *Spleneticum* quandoque diſponit, cujus rei paſſim Practici reminiſcuntur, è quibus tantum hoc loco *Foreſtum* l. c. *Bonettum in Polyalthe. Lib. IV. c. 51. Sennertum Prax. Lib. III. Part. 4. c. 3.* allegare lubet: quibus reſpectibus tantum prævia quadam conſideratione inculcamus *hujus Mali conſenſum* cum negotio *Hæmorrhagiarum*.

§. XII.

Quod *conſecutionem* affectuum *Spleneticorum* in genere & ſeorſim etiam præſentis mali attinet, tunc nondum placet plures quosdam *ſiniſtros* affectus recenſere, in quos Malum illud *degenerare* ſolet, ſed animus eſt tantum *notabilem* illum *eventum* enarrare, qui quadantenus cum

præcurrentibus phænomenis conſentit: quemadmodum enim dictum fuit, quod hunc affectum motus & fluxus *hæmorrhoidales præcurrere* obſerventur, ita adhuc ſciendum, quod idem malum, immoderatius continuans, in molimina ad *vomitum cruentum* tendentia, aut *actualem* vomitum cruentum pertingat: quod *molimina* attinet, tunc ſub *acerbiori* hujus affectus decurſu majores fiunt *anguſtiæ ſiniſtri hypochondrii*, dolores evadunt *ſenſibiliores* & *acutiores*, valde ſtrictorii & *tenſorii*, *ventriculum* in *conſenſum* ducentes & eximiam *cardialgiam* inferentes, unà cum aliis pathematibus ad *præludia vomitus cruenti* ſpectantibus: quod vero *actualem* vomitum cruentum in *Lienoſis* ægrotantibus attinet, tunc ipſe *minime* incognita, ſed in *Praxi medica* abunde *comprobata* & *comperta* res eſt, præcipue vero quando affectus *Splenetici* magis *increbeſcunt*: cujus obſervationis uberiorem mentionem facere hoc loco haud lubet, cum in *Diſp. de Vomitu cruento* abunde hæc animadverſio allegata & explicata fuerit: ita inter alios *Riolanus Anthropolog. Lib.* 2. *c.* 17. commonſtravit quomodo in *Lienoſis* per *vaſa brevia* ſanguis *intra ventriculum* eructet, quod varii alii ante & poſt illum monſtrarunt, ita ut *veteribus* & *recentibus* hæc obſervatio abunde cognita ſit: deinde vero etiam evenit, ut *Spleneticus* hic affectus ſub *bono* regimine & directorio ſucceſſivè *deſcendat*, dum *ſuperius* paulo *remittit*, adeoque locis *hæmorrhoidalibus* ſeſe proximet & denique vel in *majora molimina* hæmorrhoidalia convertatur, vel in *actualem perruptionem* hæmorrhoidalem deſinat: alioquin quidem *non inuſitato* hoc malum Spleneticum, uti ſuperius monitum fuit, neque hoc loco ſuperfluè repetitur, cum *motibus* & anomaliis *hæmorrhoidalibus* coincidit, quod ſi vero contigerit, ut denique *actu* Hæmorrhoides *eruperint*, tunc variæ obſervationes & ſufficienti *ſuffragia experientiæ medicæ* teſtantur laudabilem hanc *ſalubritatem* in ſubjectis *lienoſis*, quod etiam commode ad *præſentem*
mitio-

mitiorem Splenis affectum applicamus, ſiquidem *hic* affectus mali *hypochondriaci comes* eſt; *Hæmorrhoides* vero *hujus* mali *medicinam* conſtituunt, id quod *D. D. Præſes* in peculiari *Diſputatione* latius expoſuit: quando vero hæ *eluctationes hæmorrhoidales* ſub malo *Splenetico* occurrentes, immodeſtius coercentur & *reprimuntur*, tunc eò *acerbius* & immoderatius *Spleneticum* illud malum inſiſtit atque *continuat* & vel in *majores* affectuum Spleneticorum *gradus* increbeſcit, vel in *vomitum cruentum* tendit, imo plane pervenit, ut dehinc ſi non impoſſibile tamen *difficillimum* ſit, *Hæmorrhoides revocare* & in ordinem *juſtum* reſtituere: idem etiam valet de Malo hoc *Splenetico* in *fœminis*, quando ex *Menſium ſuppresſione* ortum traxit: tunc enim eo facilius in conatus ad *vomitum cruentum* pertinentes tranſit, quoniam *hæc Hæmorrhagia* cum apparatu & ſucceſſu ſuo *ſequiori* ſexui *familiarior* eſſe obſervatur: vicisſim vero *optimè* hoc *Spleneticum* malum *ventilatur*, levatur, imo *ſolvitur* per *tempeſtivum* Menſium *reditum*: quemadmodum hujus mali non *exiguum* levamen conſtituit *puerperium* & conjunctus *liberalior Lochiorum* fluxus; contra vero *experientia* etiam teſtatur, quomodo eadem afflictio ex puerperio *non bene* per *Lochia* repurgato & *ventilato ortum* traxerit: *conf. A. N. C. Dec.* I. *An. VIII. obſ. 95. Schmidii: de Tumore Lienis Partu ſoluto.*

§. XIII.

Quod *reliquam* hujus Splenetici Mali indolem attinet, ſciendum adhuc eſſe judicamus, quod non æque *tranſitorium*, aut *valde lenem* morbum conſtituat, ſed quod *ſatis diu* affligat & cum *comitatu* ſuo affectus *hypochondriaci* chronicum morbum præſentet, qui per *plura* tempora continuat, ni *mature* & *dextre* medica arte levetur; aut à natura per *ſalutares* Hæmorrhagias ventiletur: interea vero per *ſpeciales* quaſi *paroxyſmos* recurrit & *acerbius* affligit, maxime quidem *illis* temporibus, quibus *hypochondriaci*

 affe-

affectus *exacerbari*, aut *hæmorrhoidales* motus *augeri* obſervantur, quemadmodum *animi pathemata* non exiguam vim habent in affectum hunc commovendum & *exaſperandum*: interea vero etiam occurrunt non exigua exempla ſubjectorum, quæ *poſt ſatis longam* talem afflictionem Spleneticam denique iterum a *tota hac calamitate* liberata fuere; id quod etiam facilius contingit, ſi Splenem nondum *eximia* quædam *labes* occupavit: nuda interim & per *intervalla* recurſans *inflatio* nondum *extremum* hujus Mali gradum efficit: ita enim contigit *D. D. Præſidi* patiens *Spleneticus*, qui poſt prægreſſum *mobile* vitæ genus, magis *deſidiæ* & *nocturnis* lucubrationibus indulſit: *hypochondriacus* inde factus & cum variis *martialibus* remediis tractatus fuit: *huic* affectui ſociavit ſe *Spleneticus* hic morbus, ſatis *gravis*, cum multa *animi* inquietudine, ita ut patiens omne *commercium hominum* fugeret: ſplen valde *inturgeſcebat* & per *intervalla* iterum *conſidebat*: durabat hic deplorandus ſtatus ultra decennium, ordinabantur tandem à *D. D. Præſide* quæ *conveniebant*, tam pro *animo* inquieto tranquillando, quam pro *corpore*; etenim *illa* è maximis aderat afflictio, quod patiens ſe longe magis ægrotum crederet, ſuſpicabatur & *imaginabatur*, quam quidem *actu* erat & dum interdum ſtatus mediocriter conſtitutus fuit, tantum tamen *prævaluit imaginatio*, ut, cum ex *opinione ægrotus* in publicum protraheretur, ipſe præ metu & *deſuetudine* converſationis anxie contremiſceret & *Lipothymiæ* proprior fuerit, unde verum malum *hypochondriaco-Spleneticum* eximium *pabulum* obtinuit; quo vero ſucceſſivè *præſciſſo* denique tam *diuturna* afflictio, deo benedicente, *evanuit*: quo ipſo exemplo monſtramus, quod non modo hic affectus *diu* ſubjecta detinere ſoleat, ſed quod etiam interdum *poſt longam moram* ſine *deteriori* conſecutione iterum *ceſſet*. Illud adhuc brevibus hoc loco addere lubet, quod ab attentis & ſedulis ſcripto-

ptorum *Hippocraticorum* Lectoribus *peculiaris* affectus commemoretur, quem cum *præſenti* Malo haud *confundendum* eſſe monemus, licet ad *ſplenis* morbos referatur: deſcribit eundem *Senex Prorrhet. Lib. II. §. 42. text. 1. Gingivæ vitiatæ, & ora graveolentia his ſunt, quibus Splenes Magni: quicunque vero habent Splenes Magnos & neque ſanguinis eruptiones ipſis contingunt, neque oris graveolentia, horum tibiæ ulcera prava habent & cicatrices nigras:* Eſt hic affectus *Magnorum Splenum Hippocratis!* & licet in *hoc*, quem hactenus deſcripſimus ſplenetico malo etiam interdum ſplenis *intumeſcentia* occurrat, tamen hæc illi non eſt *perpetua*, ſed tranſitoria & quaſi magis *accidentalis*, aut *adventitia*, qualis magnitudo *huic* affectui ab Hippocrate deſcripto *eſſentialis* eſt & magis cum *induratione* Lienis convenit; unde etiam illa *inſolita* phænomena enarrantur, nimirum *gingivarum* vitium, *os graveolens* & *ulcera* in tibiis & *cicatrices* nigræ, utpote qui effectus magis cum *intimiori* humorum *depravatione* conveniunt, adeoque *ſimplicius* malum ſpleneticum non efficiunt, licet hoc etiam ita exacerbari & in *deteriorem* talem ſtatum degenerare queat, de qua conſideratione jam acturi.

§. XIV.

Supereſt ut huic hiſtoricæ delineationi Mali Splenetici *Prognoſticam* conſiderationem annectamus, quæ pro meliori totius negotii intellectu inſerviet: *in genere* quidem de *hoc Malo* judicamus, quod ſatis *intricatus* atque *contumax* exiſtat, ſi ad vigorem ſuum pervenit, qui *ſibi* relictus *facilius* increbeſcit & *inſoleſcit*, quam *decreſcit*, tanto *facilius* vero *perverſas* medicationes *ſequitur* & ex *hiſce* in longe *contumaciorem* indolem degenerat: eo *acerbius* vero affligit, *contumacius* inſiſtit & *frequentius* recurrit, quo magis ex *repentina* Hæmorrhoidum & Menſium, *liberalius* fluentium, *ſuppreſſione ortum* traxit: neque quidem *bonum* omen eſt, ſi cum *acutis*, *punctoriis* & *lancinatoriis* doloribus

diu-

diutius ſiniſtrum hypochondrium affligit atque detinet, aut *ventriculum* in frequentem &eximium *conſenſum* trahit: tanto *minus* vero *boni* ominis eſt, ſi in *actualem* vomitum cruentum deſinit, quemadmodum illi *ſalutares* eventus qui *ſpleneticis* ex *vomitu cruento* promittuntur admodum *æquivoci*, & obſervationes tales de ejusmodi eventu teſtantes, admodum *fortuitæ* ſunt: multo *melius* omen eſt ut ſuperius monuimus, ſi *Hæmorrhoides* & *Menſes tempeſtive* redeunt & legitime ſuccedunt atque opportunè repetunt: quo *firmius* vero hæ evacuationes *occluſæ* ſunt & quo *tenacius* retinentur, eo magis Malum illud *augeſcit*: quo contumacius ſub hoc Malo *alvus occluſa* & adſtricta eſt, eo magis ipſe affectus *ſpleneticus* augeſcit & *confirmatur*: melius itaque indicium eſt, ſi alvus *libera* & lubrica eſt: *mentis motiones* concurrentes indicant *gravitatem* Mali & *difficiliorem* Therapiam: multa *nauſea*, frequens *ructus* & conatus *vomendi* concurſantes præſentis affectus *acerbiorem* gradum denotant: quando *color* naturalis *conſpicuè* invertitur, & *functiones* naturales *languent*, ut & quando corpus ſucceſſivè *extenuatur*, non *bonum* ſignum exiſtit, quod de *accremento* mali teſtatur: *frequens* phlogoſis & *febrilis hecticodea* incaleſcentia *ſuſpectum* indicium eſt in affectu Splenetico & *inchoantem indurationem* aut ſcirrhoſam diſpoſitionem prodit: multus *flatulentiæ* concurſus eò magis hoc malum *exaſperat* atque indolens reddit: quando *gingivarum* moleſtiæ, ut cruentationes, corruptiones, ſive exulcerationes & fœtores ſuperveniunt, tunc Malum *gravius* eſſe liquet, dum inſignis *humorum* depravatio concurrit & *ſcorbutica* quædam inquinatio ingruit: tanto *deterius* vero eſt, ſi ſuperficialia *ulcera* concurſent, quæ non modo *in ſe* ſatis rebellia & *refractaria* ſunt, ſed *reliquum* affectum eo *graviorem* eſſe ſignificant: ita etiam *vix unquam* hoc Malum remittit, quo *conſtantius* atque tenacius pathemata *hypochondriaca* & *Hæmorrhoidum anomaliæ* continu-

ant:

ant: quo *diutius* Lienis *inflatio* perſiſtit, eò *facilius* denique in *perfectam* indurationem degenerat; quapropter *intumeſcentia* lienis diuturna, *durities* & ſcirrhus *Malum* ſignum exhibent & *priorem* affectus Splenetici gradum in *alia* Lienis morbida *ſchemata* converſum eſſe, denotant: multa atque conſtans *abdominis* reliqui *durities* concurrens *majorem* præſentis Mali *gradum* prodit & ad *reliquorum* ſymptomatum exacerbationem diſponit: dolores frequentes *acuti* & valde *ardentes* in Liene, ſub hoc Malo affligentes, *non boni* ominis ſunt: *moderata* narium Hæmorrhagia Lienoſis *haud* nocet, quin potius *aliquod emolumentum* affert, *conf. Spigelius* loco ſuperius allegato: quando ſub hoc Malo *moleſtiores* capitis affectus in conſenſum trahuntur, tunc ſtatus mali ſemper *gravior* eſt: quodſi etiam de reliquo malum *adoleverit* & *diverſis* medendi methodis ſubjectum fuerit, tunc longe *tenacius* magisque refractarium eſt, quam ſi adhuc in *primis* incrementis fuerit conſtitutum: quando denique affectus *cachectici, cacochymici*, icterodei & *œdematoſi* accidunt, peſſimæ notæ & indolis eſt affectus hic Spleneticus: & hæc ſingula principaliara prognoſtica ſunt, quæ ad præſentem tractationem annectere voluimus.

§. XV.

Miſſa Hiſtorica præſentis affectus explicatione, ordo nos ducit ad *Pathologiam* exponendam & ſubnectendam, in qua primo *noſtram* mentem aperiemus, deinde *contrarias* ſententias *modeſtè* declinabimus: quoad *formale* hujus affectus, dicimus quod hoc Malum conſiſtat in regurgitatione & *reſtrictione ſanguinis* intra Lienem è *vena Splenica* proveniente & in ipſius Lienis *ſuperficiali* ac quaſi *oppoſita* conſtrictione, quo ſanguis in *progreſſu* ſuo *impeditus proprimatur*, ne in ſuſpectam *ſtaſin* aut ſtagnationem delabatur: hæc ipſa *præcedens* reſtrictio ſanguinis *ad Lienem* cum *duplici fine* directe cohæret, vel ut primo *eminus Hæ-*

mor-

morrhoides promoveantur, vel ut ſecundo ſub *defectu ſucceſſus* hæmorrhoidalis *vicario* quodam actu ſanguis per *ventriculum* effundatur ; totus vero hic conatus *oppoſitus* eſt ſanguini vel *ſuperfluo* vel ſimul *ſpiſſo* Venam Portæ & connexa viſcera *moleſtanti* & in iisdem *gravia* damna comminanti: ob id ex *ſimplici demonſtratione* facile liquebit, quod *primaria* contentio *minimè turbulenta* ſit, ſed ſub ſingulari *directorio* conſiſtat & quod propterea hic affectus *minime fortuitis* & mere *accidentalibus* cauſis atque reſpectibus adſcribi debeat: hæc aſſertio eò *evidentior* fiet, quo magis ex *Hiſtoria Practica* ſingulæ circumſtantiæ bene conciliantur : primo enim notare convenit, quomodo *palmaria* ratio & efficacia in hoc Malo *ſpaſmodicis* commotionibus aſſignanda ſit, quæ minimè ita præcociter & fugitivè *incognito* cuidam ſtimulo imputari debent ; etenim licet illa opinio facile enarrari & recenſeri poſſit, quod in *primis viis* materia talis atque *amurca acris*, *acida*, hypochondriaca hæreat, quæ nervos & membranas nervoſas ſtimulet, imo licet hæc opinio facile *concipi* queat, tamen *rationalis demonſtratio* illam valde deſtituit, cum non facile concipi poſſit, quomodo tam ſuſpecta & pernicioſa materia *ad nervos* pertingat & ſi talis *acris* materia *ad membranas* usque penetraret, quis non credere debeat, quod haſce *corrodat* & diſſolvat? & licet in *certis* caſibus omnino tales *irritationes* partium *ſenſibilium* contingant, attamen hæc efficacia non adeo *frequens* & communis eſt, uti *vulgo* quidem applicatur & *extenditur*: & ſi ſuppoſita talis *ſtimulatio* in culpa eſſet, ſane *ſpaſticæ* tractiones valde *confuſæ* eſſent, neque certis reſpectibus *hæmorrhagicis* ita quadrarent, uti in *Hiſtoria Practica* conſpicere licet : Ex hiſce motibus *ſpaſmodicis* deducenda & demonſtranda eſt partim *primaria deſtinatio* utilitatis ad evacuandum *ſuperfluum* & proprimendum *ſpiſſum* ſanguinem collimantis, qui uterque finis *apprime* cum illis motibus *cohæret*; partim

exin-

exinde explicanda ſunt reliqua *phænomena*, quæ *conſectaria* aut Symptomata exiſtunt, qualia in hoc affectu ſeſe produnt, quæ *poſteriora* vero non æque è *deſtinatione* aut *finali* illa *applicatione* fluunt, ſed quæ ut *inevitabile* quoddam *accidens* conſiderari debent.

§. XVI.

Sed ut hanc *generalem* explicationem *pathologicam* paulo *clarius* ſignificemus, dicimus quod Malum Spleneticum nitatur illo *motu naturæ*, mediante quo hæc *ſanguinem* regioni *hypochondriorum* aut *quantitate* aut *conſiſtentia* moleſtum *promovere* & *emovere* contendit: unde ſubjecta *ſplenetica* vel *ſuperfluum* vel ſimul *ſpiſſum* ſanguinem habent & vel *hypochondriacis* vel eminentius *hæmorrhoidalibus* pathematibus laborant, quidquod ſubinde & *ætate* & *ſexu* & *Temperamento* & *vitæ genere* ita apta ſunt, quo tales contentiones *hæmorrhagicæ* in iisdem ſuccedant: viciſſim vero *Hæmorrhagiarum* prægreſſarum ſalutarium *ſuppreſſiones* hunc affectum *invitant* & tempeſtivi *illarum reditus* eundem valde *levant*: ubi ſanè vix facilè quisquam ſibi perſuadebit, quaſi per talem *Hæmorrhagiam* aliquid illius ominoſæ *acrimoniæ*, nervos vellicantis eliminetur, quod deinde *cum effectu* impetratæ *euphoriæ* convenire poſſet: illud potius *rationi magis* conſonum eſt, quod per talem *Hæmorrhagiam* non modo loca *hypochondriorum* ventilentur & à *copioſiori* ſanguinis affluxu liberentur, ſed quod ſubinde in iisdem *congruum ſpatium* ſubminiſtretur, ut reliquus *ſpiſſus* ſanguis facilius *progredi* queat; inde evenit, ut *obtenta* tali ſalutari *depletione*, natura cum priſtino ſuo molimine *acquieſcat* & affectus talis *remittat*: contra vero ſi eadem vel in prima ſua *acceſſione* vel in legitimo ſuo *ſucceſſu repreſſa* fuit, tunc eandem *ſalutari* conatu & conſilio modo *proximius* modo *remotius* proſequitur, è qua *remotiori* eluctatione & *ſpaſmodica* contentione *præſens* affectus *ſpleneticus* provenit; & quo hæc demonſtratio magis *perſpicuè* intelligatur, antea

 notan-

notandum eſt, quod *naturæ* humanæ *uſitatum* ſit, Hæmorrhagias *antehac* turbatas, vel *difficilius* procedentes, vel ob *ſpiſſitudinem* ſanguinis *impeditius* exeuntes, motibus *ſpaſmodicis* proſequi; *idem* contingit in *præſenti* negotio, ubi natura humana *primario* ſcopo *Hæmorrhoidum* perruptionem in *diſſitis* locis per motus *ſpaſmodicos* urget: hæc vena hæmorrhoidalis *interna* vero *revehit* ſanguinem ſuum in *Venam Portæ* & quidem vel proxime *in illo loco* in quo *ſplenicus* ramus in *truncum* Venæ Portæ ſe immergit, vel *uno eodemque* quaſi oſtio cum *vena Splenica* in Venam Portæ ſe immittit, vel etiam (quod ſatis *frequenter* contingit & ab Anatomicis vere talibus & non imaginariis, ſæpius allegatur,) in *ipſam venam Splenicam* ſeſe inſinuat, de qua poſteriori animadverſione tantum unicum teſtem ex antiquioribus, inter multos alios producere placet, nimirum *Zacutum Luſitanum*, qui in *Med. Princ. Hiſt. Lib. I. Hiſt. 4. obſ. 5.* de hæmorrhoidalibus *internis* venis dicit: *e ramo ſplenico Venæ Portæ per Meſeræum, circa colon & inteſtinum rectum extenſæ in anumque terminatæ progrediuntur, ut docent Veſalius Lib. III. Fabr. corp. c. 5. Andr. Laurent. Lib. IV. de re anatom. c. 4. Realdus Columb. Lib. 6. Anat. ſcholiograph. ad cap. 55. Lib. I. Hollerius de morb. intern.* quando itaque *motus* ad *Hæmorrhoidum* perruptionem ſuſcipiuntur, tunc in genere ita ordinantur, quo ad *minores* propagines hæmorrhoidales in *inteſtinum rectum* extenſas ſanguis copioſius *congeratur*; id vero contingit, quando ſub aliquali *compreſſione capacioris* rami hæmorrhoidalis conſuetus *refluus* ſanguinis motus quadantenus *retardatur*: id ipſum vero iterum evenit, quando *hæc venæ* hæmorrhoidalis vel in *medio* ſuo tractu, vel circa *illud oſtium*, quo contentum ſuum ſanguinem *effundit* conſtringitur: quodſi itaque contigerit, ut in *illo loco*, ubi & *hæmorrhoidalis* & *ſplenicus* ramus conveniunt, *conſtrictio* illa *ſpaſmodica* adminiſtretur, tunc non modo *refluxus* ſanguinis *è vena hæmorrhoidali*, ſed & è vena *ſplenica* impe-

di-

ditur, ut *regurgitatio* ſimul & ad *loca hæmorrhoidalia* & ad *Splenem* fiat: inde eſt cur affectus *ſplenetici* cum *hæmorrhoidalibus* pathematibus in tanta *communione* conſiſtant & deprehendantur.

§. XVII.

Quodſi vero contigerit, ut natura à locis *hæmorrhoidalibus deflectat* & è *ventriculo* ſanguinem eructare conſtituat, quo *vicarium* illud *levamen* nanciſcatur, quod in *primario* hæmorrhoidali actu impetrare haud potuit, tunc non æque *ſpaſmodica* hæc conſtrictio *hæmorrhoidalem* ramum attingere debet, cum ſuffecerit cum illa *membranacea meſenterii* extenſione, quæ *ſplenicam venam* ambit, *ſtricturam* illam ſuſcepiſſe; hinc *regurgitat* ſanguis partim ad *Splenem*, partim ad *vaſa brevia* & *gaſtrica*, quæ interdum *actu* erumpunt, ut natura hunc *finem* aſſequatur, inde pendent illæ obſervationes, quæ *vomitum ſanguinis* tam in *ſpleneticis*, quam in aliis *ſalutarem* prædicant, *conf. Rhaſius Lib. 9. cont. tract. 2. c. 2. Zac. Luſit. M. P. H. Lib. II. Hiſt. 10. A. N. C. Dec. II. An. 7. obſ. 199. dec. III. An. VII. & VIII. obſ. 212. Barthol. Hiſt. Anat. Cent. 3. Hiſt. 36. Rhodius Cent. 2. obſ. 64. A. N. C. Cent. I. & II. p. 194. in app.* Memorabilis etiam eſt *Sennerti* animadverſio, qui non male *hypochondriacis* pathematibus *ſpleneticas* tales afflictiones annumerat; neque quidem in hac obſervatione quoad *Hiſtoriam Practicam* aberrat, licet in *cauſali* reſpectu *antiquiorum* placitis aſſentiat & *vitioſos* humores accuſet: memorabilis vero etiam eſt laudati viri ulterior animadverſio, dum affectus *hypochondriaci locum affectum* eſſe dicit *ramos Venæ Portæ*, qui ab *hepate* & *Liene* ad *ventriculum* & *vicina* loca tendunt: unde *Prax. Med. Lib. III. Part. V. Sect. I. cap. 2.* dicit: *ab eadem Vena Portæ & arteria cœliaca etiam vaſa accipiunt Lien, Hepar, omentum, Meſenterium, ut ita facilis inter has partes conſenſus & humorum communicatio eſſe poſſit, ut merito in ramis Venæ Portæ & arteriæ cœliacæ majoribus, ſedem Mali hypochondriaci conſiſtere ſtatuen-*

tuendum ſit. Ex eo nobis minime *peritiſſimorum* virorum *conſenſus* neque *ſolidæ experientiæ ſuffragium* deficit, quod videlicet in prædictis regionibus tum *hæmorrhoidalis* tum *ſplenicæ venæ* commotiones illæ *ſpaſmodicæ* atque moleſtiæ ſuccedant: quo magis enim natura ad *anotericam* ſanguinis reſtrictionem vires ſuas applicat, eò *majores* ſunt dolores *in Liene* & *circa* illum, eò magis *ſiniſtrum* hypochondrium afflictum eſt, eo *minus hæmorrhoidalia* loca compatiuntur, eo magis *inferiores* regiones conſtringuntur & obrigeſcunt, teſtimonio *firmioris*, magis inſolitæ & tenacioris occluſionis *alvi.* Et hæc *formalis* atque *fundamentalis demonſtrativa* mali ſplenetici explicatio, non modo *Hiſtoriæ rei* convenit, ſed *legibus* & *ordinibus motuum vitalium* exacte & ſine ulla *ſuppoſitione* reſpondet, ita quidem, ut reliqui reſpectus ad *corporis* conſtitutionem pertinentes, minime neglecti, ſed cum cura *conciliati* ſint.

§. XVIII.

Sed dum prædicti *ſpaſmodici* motus liberum *refluxum* ſanguinis è *Liene* ad *Venæ Portæ* truncum *impediunt*, ita exinde non niſi eximiæ *regurgitationes* ſanguinis *intra Lienem* oriuntur, tanto magis verò in hoc viſcus, quia per *numeroſiores arterias* copioſus ſanguis *intra illud* affluit; & inde oriuntur illæ eximiæ *inflationes* & intumeſcentiæ ſplenis, *diſtenſiones*, *oppletiones*, *anguſtationes* & *ardores*, nec non *lancinatorii* & *pulſatiles* dolores, ſub quacunque *expulſione* ſanguinis extra arterias contingentes, quando non modo Lien cum *multo* ſanguine oppletus eſt, ſed quando ipſe Lien eodem tempore *proprio* tonico motu conſtringitur: & hæc Lienis *inflatio* evidenter *ventriculum* & liberum *diaphragmatis* motum *impedit*, exinde oriuntur graves *cardialgiæ*, *appetitus* & *concoctionis* vitia, *conatus vomendi*, *aſthmaticæ* afflictiones, *palpitationes cordis*, quæ poſteriores huic *impeditiori* ſanguinis *progreſſui* circa *præcordia* & *hypochondria oppoſitæ* ſunt; dehinc ſanguinis

libe-

liberior motus & *recurſus* per *caput* impeditur, unde varii capitis affectus ingruunt, tam *oppletorii* quam *vertiginoſi*: neque vero deinde ſub iisdem *ſpaſticis* commotionibus *ventriculi textura* à tali *redundantia* ſanguinis *libera* manet, ſed ſi per *ramum Splenicum* ſanguis ſplenicus non *liberè* progreditur, ita contingit, ut per *vaſa brevia* & reliqua *gaſtrica* in *Splenicam venam* ſeſe imergentia, ſanguis è *textura* ventriculi *libere* & *ſufficienter affluere* non queat, adeoque *intra ventriculi* texturam *reſtagnet*, propterea *cardialgiæ* augentur, ventriculus interdum unà *inturgeſcit* (quod fruſtra *flatulentæ* expanſioni *cavitatis* ventriculi imputatur) *ructus* & valde moleſtæ *contorſiones* ventriculi ſuperveniunt, eoque magis *appetitus* & *concoctio* turbantur, adeoque in *hypochondrio* ſiniſtro pathemata augentur & *exacerbantur*: hinc *ſplen* & *ventriculus* in tanto *connubio* & commercio eſſe obſervantur, quod fruſtra ex certo & *incognito fermento* deduci aut explicari poteſt: & ſi tali modo non tantum *digeſtio* turbata, ſed & libera *progreſſio* ſanguinis impedita eſt, tunc ordinariæ & neceſſariæ *ſe- & excretoriæ* functiones admodum depravantur & invertuntur, inde ſuccesſive *dyſcraſia* ſanguinis irruit & talis quidem quæ è *primis regionibus* ex male abſterſa & inſufficienter evacuata *bile* è mala concoctione & variarum *cruditatum ſalinarum* collectione ortum trahit, id quod demum *per conſecutionem* aliquam obtingit; quæ phænomena propterea neque *cum initio* præſentis affectus, neque cum *complemento* illius *confundenda* ſunt: inde enim eſt, cur demum affectus, qui vulgo *ſcorbuti* nomine declamantur, huic malo *ſuperveniant*.

§. XIX.

Ad hoc Malum Spleneticum itaque *invitandum eædem cauſæ* diſponunt, quæ ad *hypochondriacam* paſſionem & *hæmorrhoidales* commotiones invitandas contribuunt; paulo *proximius* vero eo concurrit *interna* illa diſpoſitio

&

& *ſtructura*, quæ circa *Venæ Portæ ramificationem* & *venæ Spleneticæ* ac *hæmorrhoidalis internæ communionem* antea explicata fuit, adeo ut non æque neceſſe ſit *fortuitos* tales & *nullibi cohærentes* neque *Hiſtoriæ* reſpondentes effectus *ſupponere*, aliàs in *omni* ſubjecto, cui vel paululum *ſpiſſus* eſt ſanguis ex *phyſica* quadam *necesſitate* hic *Spleneticus* affectus aut adhuc *acerbior* contingere deberet: quapropter præter *nude corporeas* cauſas adhuc *ſpecialis* & ſingularis cauſalis concurſus agnoſcendus & commendandus eſt, qui juxta præmiſſas noſtras demonſtrationes *non alius* eſt, quam *directio* motus *tonici* ad *evacuationem* ſanguinis per *hæmorrhoidalia* loca, aut per *ventriculum* contendens, id quod hactenus à *priori* & *poſteriori* ſatis demonſtratum fuit: quando vero ſub operoſa tali commotione *translatoria* & *eluctatoria* contingit, ut ſanguis in Liene & circa illum in periculoſam *ſtaſin* degenerare minetur, adeoque non modo debitus *progreſſus* ſanguinis per *Lienem* & *ventriculum* graviter *impediatur*, ſed & inſuper negotium *concoctionis* & connexæ *ſecretionis* atque *excretionis* valde turbetur & ſubinde hæc perturbatio in *eximio* gradu conſtituta ſit, tunc mirum eſſe minime poteſt aut debet, cur ipſe *animus angatur* & turbetur, inde illi *nexus melancholicarum* anguſtationum, contriſtationum, perturbationum & patheticarum afflictionum, hinc illæ *lacrymæ*, illi *metus*, illæ *ſolitudines* & *diffidentiæ*, dum anima *rationalis* ob miſerum & *ſuſpectum* corporis ſui ſtatum in tantos *angores* delabitur: neque quidem tantum ita ſimpliciter *paſſivè* Lien extenditur atque *oppletur*, ſed & ſubinde *activæ* quædam *conſtrictiones* in *ipſo Liene* concurſant, quæ hiſce ſanguinis *reſtagnationibus* & Lienis *oppletionibus* oppoſitæ ſunt, imo quæ interdum *directionem* ad *vomitum cruentum* collimantem, *promovent*, dum undiquaque *ad ventriculum* ſanguis reſtringitur: hic ipſe *ſtrictorius* motus huic viſceri communicatur per binas *tunicas*, quæ viſcus hoc inveſtiunt, quas poſt *Highmorum*,

morum, *Malpigius de ſtructura viſcerum* clarius annotavit, dum *exterior* fibras ſecundum *longitudinem* extenſas habet, *intimior* vero fibras ſuas ſecundum *latitudinem* porrigit & diſpergit; exinde *Illuſtris Stahlius diſp. de Vena Portæ p. 39.* *ita concludit: Hæc ſane diſpoſitio commonſtrat ſatis à priori quod aliquis tonicus non modo, ſed & conſtrictioni majori & dilatationi aptus motus in Splene fieri poſſit:* quam conſtitutionem Lienis ad imitationem prælaudati *Celeb. Viri D. D. Præſes* aliquoties in privatis prælectionibus *anatomicis* demonſtravit: propterea etiam viciſſim Lien non minus *diſtenſionibus* expoſitus eſt, quibus *aliæ* partes, *tono* præditæ, obnoxiæ eſſe obſervantur, quando videlicet inter alias cauſas nimium & frequentius ſanguis *intra easdem* congeritur & in iisdem *copioſius* detinetur, hinc *in Liene* præcipuè evenit, ut ob *eximiam* talem ſanguinis reſtrictionem in illum major partis *diſtenſio* contingat & *tunicarum* prædictarum *motus* enervetur, unde *ſucceſſive* Lien *intumeſcit* & majorem *molem* atque magnitudinem nanciſcitur, ut propterea & anatomicorum & obſervatorum ſcripta numeroſas Hiſtorias de *diſtento* & *magno Liene* commemorent, ex quibus hoc loco *Bonetti Sepulchr. anat. Lib. III. ſect. 16.* allegare lubet.

§. XX.

Sed non poſſumus, quin adhuc *famigeratam* aliquam ſententiam de morbis, præcipuè vero de *doloribus* & *inflationibus* Splenis proponamus atque *diluamus*, eidemque *modeſtè* & amicè *obloquamur*; videlicet invaluit opinio quaſi *dolores* illi, quos nos hactenus *ſpleni* adſcripſimus, non *huic* parti, ſed *inteſtino colo* competant, qui à *retentis* & occluſis *flatibus* ortum trahere dicuntur: hæc opinio vero *originem* traxiſſe videtur, ex *antiqua* illa traditione, quaſi *dolores* illi, qui ſpleni adſcribuntur à *peritonæi* in *ſiniſtro* hypochondrio cum partium *tunicis* firmius cohærentis *tenſione* & flatulenta *expanſione* pendeant, uti *Platerus*, *Sennertus* a-

liique hanc opinionem proponunt & deſcribunt; interim *Hœferus in Herc. Sax. Lib. III. c.* 3. non dubitat, quin *Lieni* etiam adſcribat, quod *extendi* & *flatulentia* quadam expandi queat, ut adeo hæc flatulentia & extenſio non *extra* Lienem, ſed *in illo* inquirenda ſit: ſed cum *Excell. D. D. Stahlius* contra hanc ſententiam paſſim *rationes dubitandi* propoſuerit, ita *easdem* hoc loco breviter notare lubet: reminiſcitur hujus animadverſionis Vir Celeberrimus partim in *Diſp. de Vena Portæ p. 38. 39.* partim in *Diſp. de Malo Hypoch.-Hyſterico p. 21. 22.* potiora vero momenta hæc ſunt: 1) gaudet Lien motu *proprio tonico*, adeoque viciſſim *dilatationi*, oppletioni & diſtenſioni ſubjectus eſt: 2) *inteſtinum colon*, cui juxta hypotheſin, hæc afflictio imputatur, magis *deorſum incurvatur*, neque in tantam *altitudinem* extenſum eſt, *ubi dolores* ſplenetici percipiuntur: 3) neque illud inteſtinum tam *acuto angulo* in *flexura* ſua incurvatur, ut ſi etiam *altius* extenderetur æque in *illum* locum imprimeretur, ubi *Lien ſedem* ſuam habet. 4) proinde accidit, ut *Fœminæ* ex *Menſtrui* fluxus *communione ſpleneticæ* factæ, certis menſtruis *periodis* mali ſui *exacerbationes* perpeſſæ fuerint, 5) & quomodo *viris Hæmorrhoidariis* ex Hæmorrhoidum *turbis* in hoc malum delapſis, *illis temporibus* hoc malum *acerbius* redditum fuerit, *quibus* olim *Hæmorrhoides* moveri ſueverunt. 6) præterea hic *ſpleneticus* affectus *anomalicis hæmorrhoidalibus* internis affectibus *ſolennius* conjungitur, ut adeo ex hac conſideratione ætiologiæ noſtræ apprime conveniat. 7) porro evenit, ut, ſi afflictio hæc vel *menſtruis* vel *hæmorrhoidalibus periodis* occurrit, non ita *facilè* aut expedite tranſeat, ac veræ *flatulentiæ* efficere ſolent, ſed per *aliquot dies* continuent: 8) quod proinde ad *radicem* mali extirpandam *Clyſterum* uſus *nihil* efficiat; hinc evenit 9) ut ſi clyſteres adhibentur non raro *nulli flatus* egrediantur, aut 10) ſi etiam clyſteres adhibiti fuere vel alvus ſponte ſucceſſit, & flatus copioſi *emiſſi* ſunt, affectus tamen *non mitior* reddatur. 11)
de-

demonſtrat *exitus* & *eventus* hujus Mali in *vomitum cruentum*, *Hæmorrhoides* recurrentes & *febres quartanas*, quod *minima* ratio in *flatibus* inteſtinorum poſita aut inquirenda ſit. 12) hinc ſub talibus contentionibus ad *vomitum cruentum*, *Hæmorrhoides internas* & *quartanas febres* ſpectantibus, ferme *communiter* tales affectus ſplenetici, *gradu* differentes, concurrunt. 13) nec non *urina* vel *tenuis* & *pallida* vel *craſſa* & *ſubruſſa* in *tali* affectu eſſe conſpicitur, *qualis* in *Hepatis ſimilibus* afflictionibus effluit: 14) non minus in variis imo *multis* ſubjectis hic affectus *ſpleneticus* plane *non* obſervatur, quæ tamen *facilè* & frequenter *colicis* cruciatibus & *flatulentis* moleſtiis obnoxia ſunt: 15) neque æque hæc *ſplenetica* afflictio *alias colicas* moleſtias concomitantes habet, ni *interdum*, minime vero vel *ſemper*, vel *ſæpe*, per *accidens* ſuperveniant. 16) hinc inflatio, quæ *extrinſecus* percipitur non ita *obſcura* eſt, ſed *lienis figuræ* admodum accommodata, dum non modo *oblonga* ſed & *coxis inſtar faſtigiata* eſt: unde etiam evenit 17) ut in talibus ſubjectis *ſpleneticis* Lien *inflatum*, *capax magnum* & amplificum reperiatur, adeoque hæc *autopſia* opinionem hanc abunde refellat: 18) quapropter *illa Therapia*, quæ primario conatu ad *flatuum* diſſipationem in hoc malo tendit, non modo ad *fundamentum* affectus *nihil* emolumenti affert, ſed & non raro ipſum malum *exacerbat* atque corrumpit: miſſis pluribus animadverſionibus, quæ pro *opinione* illa, circa *flatus* in inteſtino colo accuſandos occupata, declinanda proferri poſſent.

§. XXI.

Unica adhuc ſupereſt conſideratio, cujus tam in *Hiſtorico*, quam *Pathologico* conſpectu & reſpectu brevem mentionem facere lubet: nimirum *communis* eſt inter *antiquiores* medicos ſententia, quod *Lien* ſit *ſedes febris quartanæ* (quamvis *Helmontius* aliique focum febrilem in quartana in Liene ſemper eſſe, negent) quam opinionem ex *illa* ob-

 ſer-

ſervatione hauſerunt, quod interdum *Spleneticis* morbis *febris illa* ſupervenerit, imo quod non raro *contumacioribus* & diuturnioribus hiſce *quartanis* febribus affectus *Splenetici* acceſſerint: & licet hæc obſervatio *vera* & indubia exiſtat, propterea tamen in *Lienem* harum febrium *ſedem* collocare velle, non ſatis conſultum & *demonſtrativum* eſt, quemadmodum *interdum* contingit, ut *ſub febre* quartana *Lien* plane *non compatiatur*, conſentiente experientia & *Walæo Med. Pract.* peculiari cura notante; quando vero & affectus *Splenetici* & *quartana* febris *concurſant*, tunc interdum febris *ſalutaris* naturæ *conatus* eſt, quo oppletionem & *infarctum Lienis* reſerare & *reſolvere* contendit; hinc etiam evenit, ut ſub *acerbiori* mali *Splenetici* ſtatu & gradu nonnunquã *febriles* commotiones *conjungantur*, quæ interdum *extra* ſingularẽ *typum* decurrunt, aliquando vero *typicæ* exiſtunt: quando vero affect9 *Splenetici* præcedentib9 *febribus* intermittentib9 *ſuperveniunt*, tunc *alia* etiã *cauſandi* ratio conferenda eſt, quomodo videlicet *citra* intentionem & *directionem* ad *ſanguinis* evacuationẽ *liber* progreſſus ſanguinis per Lienem *paſſive* impediatur, ut vel ob nimiam *oppletionem* Hepatis ſanguis *Spleneticus* ſeſe *minus ſufficienter* in Venæ Portæ *truncum* effundat, ſed propterea intra Lienem *reſtagnet*, vel ut ob *incongrua* medicamina, imprimis ab *adſtringentium* uſum, talis ominoſa *ſtrictura* in primis regionibus excitata ſit, ut liber & *facilis* ſucceſſus & *progreſſus* ſanguinis per *hypochondria* læſus & *impeditus* fuerit, adeoque inter alias abdominis partes *intra Lienem* talis ſanguinis *regurgitatio* contigerit, quæ propterea *reliquam febrem* magis refractariam & *contumacem* reddit: interdum etiam accidit, ut *ſub* quartana *febre* tales *activæ* contentiones *hæmorrhagicæ* conjungantur, quando videlicet ob nimiam *plenitudinem* & *ſpiſſitudinem* ſanguinis *hypochondriaci* reliqua primarum regionum *abſterſio* & repurgatio *impeditur*, tunc *ſalutari* etiam conatu natura

motus

motus tales, ad *hæmorrhoidales* profuſiones contendentes, ſuſcipit, cum quibus proinde *Splenetici* illi affectus *conſentiunt*; hinc teſtimonia talia practica occurrunt, quæ *Hæmorrhoidum ſalubritatem* in *quartana febre* producunt & confirmant: uti viciſſim *contraria* teſtimonia allegari poſſunt, quod videlicet ex Hæmorrhoidum *ſuppreſſione quartana febris ortum* traxerit: huc pertinet obſervatio *Hildani de ſanit: tuenda*, quæ utilitatem *Hirudinum* in febre *quartana* locis *hæmorrhoidalibus* applicatarum laudat.

§. XXII.

Non placet pluribus Pathologicam hanc tractationem proſequi, quare *Practica* adhuc conſideratio reſtat, quam quoad *fundamentalem* deductionem commendare placet; ſervabimus vero ordinem *conſuetum* & præmittemus ſcitu dignas & neceſſarias quaſdam *cautelas practicas*, quo deinde in poſitiva cura eo certius & *ſecurius* progredi liceat: *nocent* itaque in cura mali Splenetici quælibet *immoderatæ evacuationes*, quæ vias affectas valde commovent & motus *ſpaſticos* nimium *exacerbant*: tanto magis vero *vomitoria* nocent, quæ ſanguinis *reſtrictionem* ad & *intra Lienem* magis augent, ut & *tranſitus* motuum immodeſtius *ſpaſmodicorum* in *hypochondria* magis invitant: peſſima vero eſt vomitoriorum ordinatio, *quando* molimina propius ad *vomitum cruentum* tendunt: proinde etiam nocent *negligentiores ordinariarum* evacuationum promotiones, aut *perturbationes* aut actuales *oppreſſiones*: obſunt *intermisſiones* aut *confuſæ* adminiſtrationes evacuationum *ſanguinearum*, tanto magis vero nocent moliminum *hæmorrhoidalium* offenſiones, *ſuppresſiones* & *perturbationes*; præterea abſtinendum eſt à remediis *cale facientibus*, vias & humores valde offendentibus & *commoventibus*, *acribus*, *concentratis*, *ſpirituoſis*, *volatilibus* & *hiſce* quidem *curatorio* ſcopo adhibitis; neque *communia* & *acria ſtomachica* at-

que *carminativa* proſunt, quæ perinde *vias* afficiunt & majorem ſanguinis *affluxum* alliciunt: præterea *communia reſolventia* & aperitiva pro hoc affectu non quadrant, in quantum *multa calefaciente* qualitate prædita ſunt, dum *loco* promiſſi effectus *reſolventis*, non modo ſpaſmos *augent*, ſed & moleſtas *inturgefactiones* ſanguinis excitant: tanto magis deſiſtendum eſt à *vulgari*, & *liberali* præmaturo *Martialium* uſu, quæ non tantum *ordinarias* excretiones turbant, ſed & reliquos *intimiores* ſanguinis *infarctus* augent: nocent *communia* & *incorrecta aloetica* medicamina, quæ ſpaſticis præſentibus motibus *exaſperandis* & *neceſſariis* excretionibus *turbandis* valde conveniunt: quid quod *magna* circumſpectio tenenda eſt cum *antiſcorbuticorum* remediorum uſu, quæ ad minimum *haud prodiga* quantitate offerri debent: præterea *trivialibus* catalogis antiſpleneticorum medicamentorum non tam *fugitive* fides danda eſt, ſiquidem *plurima* illorum vel corpus valde *commovent*, vel ſuſpectis *adſtrictionibus* anſam præbent: nocent *opiata ſimpliciora* medicamina juxta *vulgatam* methodum adhibita: unde non niſi *palliativa* & eliminanda eſt illa cura, quæ tantum *ſymptomatibus* demulcendis intenta eſt & interea *radicem* mali negligit; inſuper etiam admodum nocent *multiplices*, *diverſæ* & *multiplicatæ* medicationes; neque facilè operantur *ſpiſſiores* formulæ, quæ ob viarum *ſtricturam* non facile penetrant: maximum vero detrimentum emergit è *negligentiori* conciliatione motuum *hæmorrhagicorum*: ſubinde nocent *copioſæ* ingeſtiones *terreorum* remediorum: neque *principalior* fiducia collocanda eſt in *externorum* auxiliorum ordinatione, quæ longe *minimum* in hujus affectus cura valent: neque æque *ſpecificorum* antiſpleneticorum utilitas *admodum* probata & certa eſt, unde non convenit, *neglecta radice* hujus mali eadem præcipitanter aut liberaliter ordinare.

§. XXIII.

§. XXIII.

In *poſitiva* cura *primo* notanda erunt, quæ ad *fundamentum* affectus pertinent, *deinde* commendari debent alia auxilia quæ *reliquam* curam *ſublevant*: primaria & *principalis* cauſa hujus mali eſt *ſanguis copioſus* & interdum ſimul *ſpiſſus* neceſſaria ſua *ventilatione* & legitima *circulatione* deſtitutus, quare ante omnia convenit *hanc* cauſam auferre, ſed quo hæc remotio *majorem* utilitatem & efficaciorem *ſalubritatem* offerat, præſtat *antea ordinarias* excretiones *liberare*: præcipuè vero convenit antea *primas regiones* abſtergere & à *craſſis* impuritatibus *repurgare*, quo modeſtas *Laxationes* ordinamus, per *Rhabarbarum*, *Polypodium*, *Tamarindos*, *Paſſulas* & *Pruna Laxativa* perficiendas; ſiquidem ſub *concurſu* pertinacioris *ſtricturæ* aut *ſiccitatis* inteſtinorum, nec non moleſtæ *flatulentiæ clyſteres* emollientes, oleoſi & *modeſte* roborantes conferunt: deinde vero conſultum & neceſſarium erit *præſervatorie* ſanguinem *ventilare* & per *Venæ Sectionem* non parcam, neque tamen excedentem *è pede* educere, & talem evacuationem ſanguinis bis per annum *repetere*: porro ſalubre eſt *mobili* vitæ genere juſtum ſanguinis *progreſſum* adjuvare & huc conducunt moderati *labores* corporis, modeſtæ *equitationes* & *vecturæ*, *peregrinationes* & mitiores *ſuccuſſatoriæ* commotiones *abdominis*: quemadmodum *Aetii* ſingulare experimentum in *Lienoſis* eſt *exercitium corporis*, *equitatio* & *obambulatio*: hinc *Celſus Lib. IV. c. 9.* dicit: *hoc vitium quies auget*, *itaque exercitatione & labore opus eſt*: loquitur vero de affectu *Lienis*: præterea *interne diluentia* & *lenientia* adhibeantur, quo *viæ* lubricæ & *humores* fluidi fiant, quare *diætetica* pro hiſce ſcopis *magis* quam *pharmaceutica* conveniunt; laudamus itaque juſcula pinguia, oleoſa diætetica, ipſum oleum olivarum, butyrum & quando primæ regiones à craſſis impuritatibus repurgatæ ſunt, *lacticinia*, tam

pin-

pinguia, moderata tamen quantitate aſſumenda, quam *ſerum lactis*: huc etiam pertinent eſculenta *prunata* & *paſſulata*, *poma borsdorfiana* cocta, ut & alia poma & pyra cocta, quæ communiter *abſterſiva* qualitate prædita ſunt: imprimis *potus ſufficiens* Lienoſis ordinandus eſt, cavendo ne ſit *valde ſaturatus* aut *fermenteſcens*; quicunque enim potus *primis viis* turbas infert, ille evitandus eſt; neq; denegamus in hoc affectu hauſtulum *vini boni* & *adulti*, rejicimus vero vina *auſtera*, *recentia*, *aceſcentia* & valde *ſulphurata*: approbamus etiam *infuſum calidum* Herbæ Thee, Veronicæ, ſcordii, hepaticæ nobilis, Epithymi; *ſub quorum* potulentorum uſu *motus* corporis ſedulo conciliari debet: & licet *Splenetici* nimium quantum *deſidiæ* & ſolitudini indulgeant, tamen præſtat omni *amica* & modeſta perſuaſione, minime vero *auſtero*, moroſo & imperioſo conatu atque *violento* mandato eosdem ad *commotiones* corporis & amicorum *conſortia* admonere.

§. XXIV.

Quanquam hæc auxilia in hujus mali *cura ferme plurimam* partem abſolvant, tamen adhuc varia alia proficiunt, quæ *reliquam* curam *ſublevant*: ordinamus propterea *infuſa vinoſa* modeſte *reſolventia*, *diſcutientia*, *laxantia* & *roborantia*; paranda ex radicibus apii, bardanæ, helenii, caryophillatæ, pimp. alb. coſt. dulc. cyp. rot. rub. tinct. Zingib. gentian. rubr. vincetox. taraxac. herbis abſinth. utriusque cochlear. fumar. C. B. Cent. min. capill. ven. cuſcut. beccabung. naſturtii, trifol. fibr. ſcord. veronic. fœnic. petroſel. ſcolopendr. hepaticæ nob. Fl. Samb. cent. min. helenii. fumar. calend. ſtæchad. arab. cartham. ſem. fœnic. carv. petroſ. dauc. cochlear. naſturt. apii. Bacc. Laur. Cort. Aurant. citr. cinnam. cappar. addend. Rhabarb. polypod. quern. & exiguam quantitatem fibr. helleb. nigr. laudamus inſuper de-

co-

coćta ex rad. apii. Cichor. Scorzon. bardan. ſquill. vince-tox. taraxac. rub. tinćt. hb. ſcord. veronic. chærefol. hepat. nob. capill. veneris, fl. chamom. acac. helen. Sambuc. ſem. fœnic. carv. petroſel. bacc. laur. Paſſul. Maj. & min. cort. citr. cappar. foliis Sennæ, Tamarind. polypod. parata: qualia remedia vero ita moderanda ſunt, ne *nimis frequenter* alvum moveant, quemadmodum & infuſa & decocta *ſine laxantibus* remediis ordinari poſſunt: ſpirituoſas & *concentratas* formulas non commendamus, quoniam hoc malum admodum *modeſte* tractari debet: porro non exiguam opem ſpleneticis afferunt *Salia abſterſiva* ſive ita dicta *neutra* ſive *Tartariſata*, quibus etiam ſalia fontium & aquarum medicinalium, quo *ſal anglicanum* referimus, adjungimus: multam utilitatem in hac afflictione vario reſpectu conferunt *veræ pillulæ balſamicæ Stahlianæ*; laudamus etiam interpoſitum uſum pillularum ex extractis amaris Gummi ammoniaco, Galban. & Tereb. additis exiguis granis *correctorum* aloëticorum & helleborinorum remediorum: confert *Spiritus* ille *de Tribus* paratus & quæcunque alia alvum abſtergentia *mitiora* ſuccurrunt: non minus Liqu. Terr. fol. Tart. cum Tinct. antimon. ſpleneticis proficit: licet etiam interdum prædictis Infuſis *moderatam* quantitatem *Aſari radicis* commiſcere: quemadmodum *ari radix* in ſubſtantia & *ſquilla* circumſpectè uſurpata non parum proſunt: id quod etiam de provido uſu *oxymelitis ſquillitici helleborati*, paululum *correcti*, valet, modo hoc non ſtatim in primis *initiis*, neque in *nimio* morbi *vigore* adhibeatur: & quo ſingula talia auxilia facilius operentur intereſt *bonam diætam* conjungere & *animi continentiam* conciliare atque ſervare: *optima* ſunt illa *alimenta*, quæ *alvum* in juſta lubricitate & conſtanti ſucceſſu conſervant: ſi *flatulentiæ* ex *accidenti* concurrant, inſuperque patientem magis angant, *clyſterum* uſus laudabilis eſt pro hac afflictione mitiganda, licet *fundamentum* to-

 tius

tius affectus *non* æque diruat: deinde interdum in tali *poſteriori* neceſſitate licet *temperatam* eſſentiam *carminativam* conjungere: optimum vero eſt, ſi *alvus* conſtanter *ſuccedit:* concedimus itidem ſub *moderato* uſu *Balnea* non æque ſplendidiora, ſed *domeſtica*, modo *non nimis ſæpe* repetantur: *acidulæ*, ſi non *temperatæ* fuerint, neque *parcius* aſſumantur, imo niſi *ſanguinis* imminutio & *primarum viarum* liberatio à craſſis impuritatibus præmiſſa, quidquod ſi affectus nondum *adultus* & *confirmatus* fuerit, non facile concedi debent.

§. XXV.

Sed quoniam hunc affectum *immoderatiores ſpaſmodicæ* commotiones efficiunt & *ſuſtentant*, ita talia adminicula commendari debent, quæ ſpaſmis illis *mitigandis* quadrant; huc conferunt partim *lenientia*, partim *temperantia*; illa vel *oretenus* exhiberi debent, qualia ſunt *diætetica*, juſcula *pinguia*, oleoſa, *dilutiora mucilaginoſa* & *gelatinoſa*, nec non *infuſa calida*, decocta *prunata*, *paſſulata* &c. vel in forma *clyſterum* ordinare convenit; ſint vero talia clyſmata non niſi *emollientia*, *lenientia* & modeſtè roborantia quæ tamen mali radicem non auferunt: huc etiam quadrant *externa* linimenta, interdum abdomini applicanda, quæ vehementiores internas conſtrictiones *demulcent* & *alvinam* excretionem promovent: temperantia non alia ſint quam uſitata *antiſpaſmodica*, abſorbentia videlicet, Nitrata & cinnabarina, quæ *repetitis* vicibus oblata, proſunt: quando motus ſpaſmodici in *meſenterio* impetuoſius inſiſtunt & *Venæ Portæ* tractum valde affligunt, tunc proficuus & commendandus eſt uſus *Millefolii*, vel in *decocto* vel in *eſſentia*; cavendo ne hæc herba *nimis prodige* aut ſub *alvi occluſione* adhibeatur, quin rectius proſpiciendo, quo *ſub* illius uſu & *poſt* eundem alvus *libera* & aperta ſit: non minus ſub contumaciori ſpaſmorum *continua-*

tinuatione ſelectiora *ſedativa* interponere & combinare licet, quo nomine *internè* Cort. *Chaccarillæ*, *externè* ſub linimentis *Caſtorei* modicum uſum concedimus, uti ab extra cum ſcutis ſtomachalibus *Theriaca* conjungi poteſt: hiſce omnibus *ſubordinare* licet *tonica* & quidem quando præſentis affectus *impetus* plurimum *remiſit*, quo commendamus Tartarum Vitriolatum Martialem, Tincturam Martis Tartariſatam, Tinct. Mart. c. ſucc. pom. aut Mixturam è Spir. C.C. & Tinct. antim. *paratam*: huc etiam quadrant *roborantia diætetica*, videlicet *modeſtus* aromaticorum & vinoſorum uſus. *Topica* in hoc affectu *non multum* juvant, niſi mitiora *lenientia*, emollientia & *temperata nervina* fuerint, quo *magis linimenta* & unguenta, quam *tenacia* emplaſtica conferunt: neque etiam *cataplaſmata talia* excludimus, quibus *externis* pro lubitu *oleum capparum* ſociare licet: abſtinendum tamen eſt, à *ſenſibilibus* & efficacibus *adſtringentibus*: quod *ſpecifica antiſplenetica* attinet, ut *radicem filicis*, *lignum Tamariſci*, herbam *Galeopſidis*, *ſplenem bovis*, tunc hæc *nondum* ſatis per *experientiam* probata ſunt: Emplaſtra *ex Cicuta* & *Ammoniaco* parata eximiè laudant practici, quæ etiam cum Emplaſtro *ſaponato modeſtè* adhibita *non* contemnenda ſunt: neque *ſquillæ* pro uſu *interno* laus ſua deroganda eſt: Eximiam vero utilitatem tum *in hoc ſplenetico* morbo, tum in *alio* habent *Hirudines*, quas paſſim admodum commendant authores: ita *Cœlius Aurelianus Lib.3. c.3. Fontanus Lib. I. Hildanus de valetud. tuenda. Fortis Tom. I. Cent.3. obſ.40.* variique alii Hirudinum *utilitatem* in *Lienoſis* celebrant: præterea ad *fundamentalem* mali præſentis extirpationem pertinet tempeſtiva *Hæmorrhoidum* reſtitutio, modo hæc ſine omni *violentia* & impetuoſa commotione obtineatur: & in hac commendatione multorum peritiſſimorum virorum *ſuffragium* proferre & experientiam ſufficientem interponere poſſimus: *Syrupus*

Foreſti ſceletyrbicus in hoc Malo æque utiliter *juſto* tempore adhiberi poteſt: *præſervatoriis* uſibus convenit repetita *V. Sio* & *Hirudinum* applicatio, moderata *laxatio*, *animi* tranquillitas, *diæta diluta* & evpepta, *potus* & motus *ſufficiens*, *peregrinatio*, uſus *Thermarum* & *acidularum temperatarum*, quæ *potiora* ſunt auxilia ad præſentis affectus curam pertinentia: ſed ne labor noſter longius excreſcat, cum variæ quidem ſpecialiores animadverſiones explicandæ ſuperſint, propterea placet nunc filum abrumpere & ſpecialiorem talem deductionem B. L. commendare: Deo interim devotiſſimas gratias perſolvimus, quod nobis in præſenti labore gratia ſua adeſſe voluerit, cui eundem humillime conſecramus & ab eodem devota mente precamur; quo omnes noſtras actiones in ſolam ſuam gloriam vertat & promoveat, ſic reliquum emolumentum ſub divina tali directione, neque proximo noſtro, neque arti medicæ deerit.